BARTHOLINUS T.

DE

MEDICINA DANORUM

1666

65058/A

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BARTHOLIN, T.

VII 5.

VII 5

VII 5.

TH. BARTHOLINI

De

MEDICINA

DANORUM DOMESTICA

DISSERTATIONES X.

Cum ejusdem

Vindiciis & Additamentis.

LONDON MEDICAL SOCIETY

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GODICCHENII,

Sumptibus PETRI HAUBOLD Acad. Bibl.

ANNO cIↃ.IↃc LXVI.

A. e.

Sereniſſimo Principi,

Dn. CHRISTIANO,

Regnorum Daniæ, Norwegiæ, &c. Principi Hæredi, Duci Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt,

Domino ſuo clementiſſimo

S. F. Q. P.

TH. BARTHOLINUS.

CUlpam prolixè deprecarer, qvod Danorum tuorum mores, victum, & medicinam commendarim, niſi certa animarer fiducia, Tibi ad

Danici imperii majeſtatẽ nato patrias laudes, qvæ propius jam Auguſtam familiam tangunt, diſplicere non poſſe, ſi Tecũ univerſo orbi innoteſcant. Tanta autem cum patriæ ſint bona, qvibus exterorum vel invidiam provocat vel venerationem, plura tamen poſſidet qvia Te Principem habem⁹, à qvo omnes ſolatiũ, boni ſibi auxilium ſpondent, ego medicinam universa patria, ſub Maxim

ximi Parentis imperio convaleſcens, à *Pietate* & *Juſtitia* Tua, ſanitatis perpetuitatem. Patere igitur, Princeps Optime, exterorum delicium, amor patriæ, ſpes futuri ſeculi & Nepotum, ut Medicina Danica pretium ſui apud Te mereatur; patere ut domeſticæ medicinæ interpres clementiâ Tuâ dignus cenſear, qvi & patriæ, cui regendæ es deſtinatus, gloriam pro virili parte ad

plures extendo,& pro Patre Patriæ, indulgentisſimo Rege meo, Tuaq;, Princeps Auguſte, qvem medicinam mihi meisq; Deus dabit, incolumitate, vota nuncupo, ut Te Patri Auguſtisſimo ſimilē præſtes, &, ut nobis tandem benè medearis, exactum ex illo Tibi Principis exemplar formes. Sic Te in aviti imperii ſuccesſionem Deus immortalis ſervet.

Th.

TH. BARTHOLINUS
Lectori Benevolo & Patriam amanti, S. P.

NIſi rei æqvitas ſuſcepto argumento faveret, poſſem offenſas multorum incurrere, vel majori emolumento in aliis occupari. Neq; enim tã prodiga manu in me bona ſua hacte-

hactenus effudit patria, ut primus cœteris benè de ea merendi occaſionem præriperem. Sint alii majoribus onerati beneficiis, qvi minus forſan de ea fuerunt ſolliciti, plurimum tamen me patriæ debere profiteor, qvod naſcendi ſorte imperito vulgo exemptus, à publico munere, qvo per pluſculos annos defunctus ſum, feriari poſſim fractumq; laboribus & ætate corpuſculum, Clementisſimi Regis favo-

favore, domi ad reqviem componam. Hinc ne ingrati civis nomen mihi exprobretur, totus in hoc opere fui, ut conceſſi otii opportunitate in patriæ medicinæ me laudes diffunderem, Deo & Regi gratiam meritorum relaturus. Illi, qvod abundè ad neceſſitatem dederit omnia; huic qvod Dei donis frui benignè nobis conceſſerit. Facem qvi præferrent, perpauci admodum inventi.

Fuere qvidem inter noſtros HENRICUS SMIDIUS, NICOLAUS MICHAELIUS & JOHANNES CHRISTIANUS, qvi pro vulgo Medicinam patria dialecto ediderunt, ſed ex Medicorum peregrinorum libris compilatam. Inter Gallos GUIBERTUS, & Italos PRÆVOTIUS Germanus, ſimile argumentum videntur elegiſſe, uti & BUMALDUS, qvi Montalba-

albanus creditur, ſed à noſtro inſtituto largis paſſibus receſſerunt. In formulis enim vulgo præſcriptis, exoticorum ſimplicium ex Oriente advectorum miſcellam cum nauſea videas. Solus JO. BEVEROVICIUS pro Batavia ſua id tentavit, qvod nos pro Dania auſi ſumus. Huc verò delapſi, non tantum Medicinam Danorum in univerſum expendimus, ſed Victum quoq; & Potum patriæ dome-

domeſticum vindicavimus, erroribus qvanta potuimus lenitate caſtigatis. Qvod ſi interea domeſticorum odio peregrina expetantur, non difficilem me præbebo, modò ſciant hujusmodi gulæ mancipia, nihil inde patriæ decedere, qvam neceſſariis Deus & Natura inſtruxit, neutiqvam ſuperfluis. Neſcit arbitrio noſtro regi Numen, nec ad abutentium libidinem patrii ſoli dignitas examinatur. Vitium eſt

mortalium propria faſtidire, qvia qvotidiana; at ſapiens qvotidianis, qvia propria, ſobriè utitur & prudenter. De illis dictum ſit; qvamdiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſvetudo ſubducit. *Vale, &, ſi diutisſimè velis, Starcatherum illum Septentrionis Heroëm presſè imitare, qvi patriis moribus, patrioq; victu & ſobrio trium hominum ætatem attigit: ſemperq; medi-*

ocria in patria malis, „ qvam nimia, illa enim utilia, hæc nocent, qvia ſuperfluunt. Scripſi in prædio meo Hageſted Anno Chriſti cIↄ Iↄc LXV. XX. Octobris, „ qvi anno ſeculi hujus ſexto decimo mihi natalis fuit.

Incomparabili Viro
D. THOMÆ BARTHOLINO
Regio Profeſſori Honorario,
Medicæ Facultatis Decano,
Academiæ p. t. Rectori Magnifico,
Diſſertationes de Medicinâ Danorum indigenâ edenti
WILHELMUS WORM OLAI F.
in Acad. Hafn. Medicinæ & Phyſ.
Prof. Reg.

Qvis-

QVisqvis es ô Patriæ contemnere munera ſvete,
Et cui non poſſunt nata placere domi,
Huc animum mentemq; refer, & ſuſpice gratus
Prodiga qvas ultrà Dania fundit opes.
Si gratis Medicina datur qvid ſpernis inempta?
Qvid turbans cenſum trans mare carpis iter?
Qvid ſtulte Eoas libitum eſt inviſere gentes?
Et noſter Boreas qvæ tenet Indus habet.
Et nunc Barthlinus nobis hæc otia fecit,
Pendet ab arbitrio res pretioſa tuo.
Qvi morbi, tùm qvæ rurſus medicamina nobis,
Nataq; cum morbis ſit medicina domi,
Qvas epulas longo ſuperinfert ordine menſis
Danus, & ut patriâ provocat arte gulam,
Tum Cereris ſuccos, & qvas vel pauperis horti
Incola delicias mella reponit Apis,
Omnia tam paucis narras Barthline pagellis,
Qvæ mare, qvæ terræ, flumina, prata ferunt.
Et cum dixiſti qvæ noſter continet orbis,
Plura tamen magni pectoris orbe tenes.

Index Diſſertationum hoc opere contentarum.

I. DE *Medicina Danorum indigena. pag. 1.*
II. *De Medicis Danorum Inventis. p. 33.*
III. *De Morbis Danorum curandis. p. 61.*
IV. *De Morborum Daniæ Popularium Remediis inqvilinis. p. 97.*
V. *De Pharmacopœa Danica. p. 177.*
VI. *De Victu Danorum domeſtico. p. 239.*
VII. *De Potu Danorum conſveto p. 313.*
VIII. *De Medicorum Danorum dignitate. p. 345.*
IX. *De Erroribus Danorum in Medicina & Diæta. p. 375.*
X. *De Erroribus Danorum circa Medicos. p. 437.*
Vindiciæ pro Medicina Danorum. p. 469.
Additamenta ad Medicinam Danorum. p. 515.

TH. BARTHOLINI
De
Medicina Danorum
Indigena,
DISSERTATIO PRIMA.

TAm benignæ eſt omnibus Natura, ut qvanqvam laudent nonnulli diverſa ſequentes, pauciq; ſua ſorte contenti vivant; tamen, qvod cujusvis neceſſitati judicavit commodum, cuiq; terræ proprium voluerit & inqvilinum. Non omnis qvidem fert omnia tellus, nec omne mare

--- *generoſæ fertile teſtæ;*

qvippe eleganter *Varro* l. 2. R. R. non ſi murenæ optimæ flutæ ſunt in Sicilia, & Helops in Rhodo, continuo hi piſces

A omni

omni mari ſimiles naſcuntur: at ſi rectè calculum ponimus, nulli terrarum angulo tam noverca fuit parens Natura rerum, ut profutura indigentiæ, foris cogatur emendicare. Qvascunqve barbarorum ſedes glacieqve perpetuæ rigentes cogitatione adeamus, ubiqve experiemur incolas ſine exterorum commercio, ſuo more ſplendide vivere, patrii ſoli & cœli beneficio grandem ætatem attingere, ſibiq; in pompoſa rerum penuria & climatis ſolitudine adeò placere, ut forte in cultiorem terrarum orbem delati, propter mutatum vitæ inſtitutum, patriæ deſiderio qvaſi furiis agitati inqvietentur, & lentè contabeſcant, qvod nupero Grónlandorum ad nos advectorum teſtari exemplo poſſumus. Eadem ſapientum mentes omni ævo verſavit cura, ſi qvidem omnis ſtultitia, ut ille loqvitur, laborat faſtidio ſui. Diogenes ſecum prudenter habitans, dolioli ſui anguſtia contentus, nihil extra cum

vag

vago gentium depopulatore qvæſivit, ut vanas mortalium ambitiones & ſuperbas contemptu Cynico irrideret. Alii apud *Senecam* laudati de Vit. Beata, ſtricto philoſophiæ genere addicti in eo gloriabantur, ſi aperta domo, & admiſſa in res ſuas civitate, dicere poſſent: qvod qvisq; ſuum agnoverit, tollat, ſicqve ſecuri ſcrutationem populo præberent. Scilicet apud ſe ſapiens neceſſaria qværit, & invenit, nec alieno præſepi inhians, fortunam nec venientem ſentit, nec recedentem, terras omnes tanqvam ſuas videt, ſuas tanqvam omnium, unumqve ſe à natura donatum credit omnibus, omnes uni ſibi. Sic Natura, ſi eâ ſapienter utamur, omnibus favet, qvia omnium Dei beneficio author, & qvanqvam haud pari modio admetiatur mortalibus ſua munera, ſingulis tamen tantum contribuit, ut etiam paupertas in Ariſtide juſta ſit, in Platone benigna, in Epaminunda ſtrenua, in Socrate ſapiens,

in Homero diſerta, ſi qvidem paupertas dici debeat ſors neceſſaria, qvæ etiam ampliſſimos fundos æqvat, qvia ſibi ad felicitatem gloriamqvé ſufficit. Nos cum Hipponenſium Epiſcopo lib. VII. de Civit. Dei c. 12. divites dicimus, ſapientes, juſtos, bonos, qvibus pecunia vel nulla, vel parva: magis enim ſunt virtutibus divites, per qvas eis etiam in ipſis corporalium rerum neceſſitatibus ſatis eſt qvod adeſt. Naturam igitur ſumma virtute præſtantem, non maleficam, ſed beneficam *Lactantio* de Ira Dei c. 2. concedere debemus, ut ſi ad propoſitam materiam per ordinem deſcenderet oratio, injuſtior foret in Deum incuſatio qvam in dicendo prudentior ſermo, ſi limites Naturæ figerem, aut Dei majeſtatem huic illive circulo circumſcribi poſſe exiſtimarem. Sol undiq; ſupra, ſtatasq; annorum vices omnibus mundi plagis deſignat, nec patitur ut præter incolarum genium, vel frigus ni-
mis

mis infeſtum habeamus, vel æſtum, ſed ad cujusq; regionis conditionem, caloris frigorisve vim ita temperat, ut ad ſuſtentanda omnia & gignenda mirabili Dei providentia hanc terrarum ſoliq; varietatem excogitatam ſuſpiciamus. Ad regionum qvoq; temperiem ingenia hominum ſe attemperant, & in omni gente, ſicut graviter loqvitur *Barclaius* in Icone, per ſuccedentium ſeculorum lapſus, mores animosq; mutantium, hæret qvædam vis inconcuſſa, qvam cujusqve terræ incolis in qva naſci contigit vel educari, ſua fata diviſerunt. Nusqvam tanta vitia patriæ ſorte durantia notantur, qvin & virtutum æternitas velut hæreditatis jure ſancita, qvæ ſingulas in hiſtoriis gentes commendat, cognoſcatur.

In qva rerum ubertate, patriæ qvoq; noſtræ abundè proſpectum, ut ſi per partes ad ſingulorum enarrationem, aut ad ingenioſa Danorum noſtrorum inventa deſcendamus, benè

ſubductâ ratione, nihil debere aliis videamur, ſed ſibi Daniam ſufficere ad vitæ necesſitatem & inventarum excultarumq; artium gloriam & immortalitatem. Enimverò, ut hinc exordia petam, Solis benigno tepore terra noſtra calet, & nive hiberna, rore illo cœleſti, commiſſa illi ſemina matureſcunt. Nunqvam aut nimio Sirii ardore exſiccatur, aut gelu, niſi rarisſimè fatali pœna, obrigeſcit, ſed moderatum ubiq; Jovem experitur, qvo non in fruges tantum, ſed in voluptatum inſtrumenta luxuriat, naturâ qvocunq; oculos convertas, ſuas opes explicante, & vel paſcuorum ubertate declivia, vel agrorum fertilitate eminentia, vel arborum varietate ſylveſtria, vel lacuum rivulorumq; intercurrentium marisq; fecunditate provincias omnes diſtinguente. Recenſendis ſingulis domeſticæ Naturæ beneficiis prius defatigaretur calamus, qvam deficeret admiratio, aut publica jucundisſimarum

rerum

rerum voluptas. Revocandus animus ab infinita pulchritudine urbium, collium, camporum, ſylvarum, prædiorum, aqvarum, à præclaris ingeniis, qvibus cives noſtri domi forisq; hactenus excelluerunt, à reliqvis Artis & Naturæ miraculis, juſti voluminis argumento, relictâ dignioribus, qvibus id curæ erit, ſcribendi materiâ, ut poſteri ſciant, qvacunq; lance expendatur, pati feliciorem nec terra Daniam poſſe, nec mari velle. At ne ad ſanitatis conſervandæ vel revocandæ inſtrumenta qvidqvam patriæ noſtræ deeſſe ſuſpicentur rerum noſtrarum ignari, percurrant qvæſo mecum paucis paſſibus amœna terrarum noſtrarum, montium, ſylvarum, aqvarum, do fidem ea ad medicinã indigenã remedia reperiri, ut nec nobis Medicam artem profeſſis ad thecas Seplaſiariorum peregrinis ungventis, oleis, ſpiritibus, herbisqve olentes, in morborum noſtrorum expiatione magis confugere opus

ſit, qvam noctuas extra Athenas qværere. Nolumꝰ de immortalis Dei benignitate ſiniſtrius judicare, qvaſi pœnam nobis ſine ſolatio infligeret, famem ſine cibo imperaret, ſine inqvilinis remediis morbos. Qvanqvam à Septentrione omne malũ; tamen nec in Septentrione omnes mali, aut ſi omnium animos perverſa voluntas deturpaſſet, non negavit tamen etiam malis malorũ præſidia, qvi Solẽ ſuũ malis juxta ac bonis concedit. Iliacos intra muros peccatur & extra. Peſſimi non ſunt Boreales, ſi inter optimos numerari non poſſunt. Nolite putare bonos viros hac in Provincia malos effici; Sed qvicunq; mali prius erant, hic malè agendi materiam nanciſcuntur, qvemadmodum de ſuis *Galenus* ſcripſit de Præcogn. ad Poſthum. c. 4.

Videtur qvidem ſoli noſtri infelicitas vini proventum, qvo gaudent Dî hominesq;, nobis ad Zythum damnatis invidiſſe: Sed damnum iſtud nec ſoli ferimus, nec ægrè reputamus.

Sunt

Sunt viciniores Solis accolæ, qvi in largiſſimo uvarum proventu, velut olim Tantalus in undis, ſitiunt & vinum averſantur, ut Mahometani, qvi Sorbet ſuum, & Indi, qvi ex fructibus & herbis indigenis expreſſam aqvam indeq; emanantem ſuccum bibunt. Feminæ in Italia & Gallia formarum ſtudioſæ ſine ullo ſanitatis detrimento aqvam vino præferunt, qvem pro alimentorum vehiculo utiliorem eſſe potum, præſertim æſtuante ſtomacho, naturæ Conſultis perſvaſum. Namq; ut *Lucretius* l. IV. canit:

-- Ceres fertur fruges, Liberq; liqvoris
Vitigeni laticem, mortalibus inſtituiſſe,
Cum tamen his poſſet rebus ſine vita manere,
Ut fama eſt aliqvas etiamnum vivere gentes.

Noſtrorum hominum gulis, ne qvid deſit, neve nimio aqvarum potu lymphatici fiant, commodè vino cereviſiam, vinum Cereris nonnullis dictum,

 ſubſti-

ſubſtituimus, & ſuccum pomorum pyrorumq;, & ſerum lactis. His ſuccis domeſticis majores noſtri ſani ſalviq; ætatem Tertaſſionum meruerunt, inqvilino temperamento percommodis, qvi nec caput feriunt, nec articulos invadunt, ſed æqvam pro noſtris temperiem ſervant. Affines certè vino vires cereviſia poſſidet; nam recentis cereviſiæ tam potens eſt Spiritus, ut in anguſta compulſus homini ſpiritum intercipiat. Nauta in Belgio apud *P. Foreſtum* in Obſ. cum in navi ſua cereviſiam recentem haberet incluſam, illius odore, ſpiraculis navis undiq; concluſis, lecto incumbens, & dormiens ſuffocatus dicitur. De duobus Monachis ejusdem fide accepimus, qvi cum noctu cellam cereviſiariam ingrederentur, ut fæcem ex cereviſia collectam expectarent, forte candela extincta, januam, per qvam egrederentur, invenire non potuerunt, ac mane ad limen per qvod exire debuiſſent, ſuffocati mor-

mortuiq; ſunt deprehenſi. Abundat qvippe tantis inebriandi ſpiritibus recens pariter & vetuſtior cereviſia, vini inſtar, ut nec pes nec caput officium faciat, ſi modum potatores exceſſerint. Benè verò defæcata, ſaluberrimum nobis potum exhibet, qvod incolarum floridus color, forma elegans & integra corporum conſtitutio indicant, monente Illuſtri *Ranzovio* de Conſ. Valet. c. 7. & Polyhiſtore *Mart. Schoockio*. Vinum ſuos amatores aridos reddit, & exſuccos, niſi adulteretur, & propter Tartari copiam, calculorum articulariiq; morbi cauſas accelerat. Cereviſia verò, ſi vetuſtior, non alit tantum, nutritq;, ſed ventriculo robur addit, præſenti plurimorũ apud noſtros morborum remedio. Podagram ab articulis avertit, calculos expellit, viſcerum opilationibus inſervit, ſi abſinthio vel lupulo condiatur, affectionibus deniq; internis externisq; balſami inſtar medetur. Hujus beneficium eſt, qvod Septen-

ptentrionales noſtri raró podagra tentantur. Illi retulit acceptum *Olaus Magnus* l. XIII. c. 27. qvod olim in obſidione Regiæ Holmenſis, lapillos ſine læſione aut paſſione ſingulo mane in matula viderit expulſos, & inſtar granorum milii . ciceris & piperis, magnitudine nucis ſimiles ejecerit, nunqvamq; exinde calculo vel alio morbo affligeretur. Patriæ noſtræ fertilitati gratulamur largam hordei ſementem, ut de ptiſana febricitantibus proſpiciatur, de decocto hordei excorticati pleuriticis, tuſſientibus, cum cortice ſuppreſſionibus alvi, autore *Hippocrate* l. 2. de Vict. Ratione, de potu & pane ſanioribus, cujus qvidem hordei tanta in Provinciis Daniæ ubertas, ut præter cottidianos incolarum uſus, centena millia modiorum vicinis noſtris communicentur. Et ne magnis multisq; civium neceſſitatibus deficeret, ut parcius in ſaxoſis provinciis ſeritur, pro ſingulis modiis qvinqvaginta, alibi tri-

triginta, apud nos decem & amplius non rarò remetitur terra. Pro miraculo culmus Pariſiis aſſervatur, cujus qvoqve meminit Illuſtriſſimus Comes *Digbæus* de Veget. Plantar. ſpicis bis centum qvadraginta luxurians. Domeſticâ ea eſt fecunditas in Inſulis noſtris Feroënſibus, ut unum hordei granum ſpicas qvinqvaginta, una ſpica proferat grana qvinqvaginta. Vinetis igitur & vino non incommodè caremus, qvod ægris plerisqve, qvos facit, noxium cenſetur ex Medicorum præſcripto; ſiq; gula morbusq; dulcia velit, mulſa noſtra vicaria adeſt; ſi acidiuſcula deſideramus, pomorum pyrorumqve expreſſum ſuccum & defæcatum, qvo œnopolæ Bacchi miniſtri adventitia vina adulterant, peregrinis vinis ſummo civium commodo ſubſtituimus. Et ne muſtorum noſtrorum Zythiq; hordeacei imbelles vires traducantur, ex utrisq; fortiſſimum ſpiritum, ſpiritu vini potentiorem elici, ignorare nemo

debet,

debet, qvem pro langvente ſtomacho viribusq; celerrimè refocillandis, huic multis nominibus præferunt etiam illi, qvi Liberi Patris patriæ aſſveti ſunt. Mulſa in affectibus pectoris & retardanda morte palmam generoſiſſimis Italorum, Græcorum, Gallorum, Hiſpanorum vinis præripit, qvia moderata dulcedine remiſſi caloris, nec pulmonibus officit, nec inſitum partibus calorem depaſcitur, etiam lentis febribus à Medicorum Tullio *Celſo* L. III. c. 9. conceſſa: ut verè olim Democritus, interrogatus qvibus remediis ad tantam ætatem perveniſſet, reſponderit; intus mulſo, & extra oleo. His potibus innocens antiqvitas, ſed noſtrâ ſanior, & valetudini ſuæ & gulæ conſuluit, qvæ melius, ſine Bacchi liqvore, vitæ ſimplicitatem tutata eſt, qvam nos peregrinis remediis à Garamantis & Indis longius petitis, corrumpimus, vitiaqve & morbos nobis cum alienis mercibus, etiam magno vitæ

vitæ & fortunarum periculo, mereamur, ingenti pro ſtultitiâ pretio. Nam peregrina placent, qvia vel nova, vel difficili pretio comparata. Invehitur in hoc mortalium vitium Satyricus:

Ales Phaſiacis petita Colchis
Atq; Afræ volucres placent palato,
Qvod non ſunt faciles: at albus anſer
Et pictis anas enovata pennis,
Plebejum ſapit. Ultimis ab oris
Attractus Scarus, atq; arata Syrtis
Si qvid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt: amica vincit
Uxorem: roſa cinnamum veretur.
Qvicqvid qværitur, optimum videtur.

Qvod ſi ſaperemus, patria & domeſtica fertilitate frueremur, qvæ abundè, etiam ad peregrinorum invidiam, de neceſſariis utriq; valetudini nobis proſpexit. Inolevit hoc patriæ beatæ faſtidium apud delicatos incolas, rerum exoticarum percupidos, ut ægrotare malint cum peregrinis, qvam cum ruſticis noſtris benè valere, digni qvi extra

tra inſulas noſtras ad metalla relegentur, ad arſenicum, antimonium eruendum, & colligendum helleborum. Indignatur Empiricus *Fioravantius*, qvod peregrinis medicamentis Medici utantur, optatq; ſe Papam vel Imperatorem, ut interdicto publico exoticarum herbarum prohibeat commercia. Ridet qvoq; *Paracelſus* illorum curioſitatem, qvi magno ſtudio peregrinas plantas noſſe cupiunt, qvum qvilibet ruſticus verum pharmacopolium ante ædes, villisq; annexum habeat. Ne his aliisq; Empiricis ludibrium debeamus, infra dignitatem non reputabimus in ipſa villa noſtra, ſylva, lacu, mari, collibus patriæ, ea adverſæ valetudinis præſidia qværere, qvæ fruſtra, minori ſucceſſu, ex inſulis Taprobana, Fortunatis, Cannariis, dubia etiam fide, afferuntur.

Villam noſtram non opere ſplendidam, ſed utilitate, ſi ingrediamur, Apes occurrunt, artificio nobiles, qvæ

gra-

gratis omnia in humanum commodum moliuntur, moriunturq; ut omnem peculii hæreditatem hominibus pro ſtraminei domicilii mercede transcribant. Propolis prima alveorum, enarrante *Plinio*, aculeos & omnia corpori infixa extrahit, tubera diſcutit, dura concoqvit, dolores nervorũ mulcet, ulceraq; jam deſperata cicatrice includit. Alvei ipſi ceræ flexibilitate, emplaſtris & Ceratis aptantur, aliorumq; medicamentorum tum excalefacientium, tum refrigerantium materia eſt, habet qvippe, fatente *Galeno* l. VII. ſimpl. med. fac. cera aliqvid digerentis calidæq; potentiæ, qvæ plurima melli inerat. Hoc ſine comparatione dulce *Varroni*, DIS hominibusq; acceptum, facilè ſaccharo æqvari poteſt, ſive ciborum condimenta ſpectemus, ſive medicamenta, qvæ ut ferant ætatem, conſervat, & aperiendo, attenuando, abſtergendo, in operatione juvat, ut affirmare non dubitet æqviſ-

ſimus domeſticarum rerum æſtimator *Beverovicius* cap. III. de Med. Bat. Indig. ſyrupos qvi hos ferè ſcopos habent, utilius è melle, qvam ſaccharo confici. Si per Apicii ſectarios, per gulæ magiſtros & fautores liceat, ſale dulci ſeu ſaccharo libenter carebimus, modò ſal commune, qvo putredinem caſtigamus, nobis reſervetur. Parcius, fateor, in patria, ſalina opera viſuntur, & malè precamur manibus Ducis Henrici Leonis, qvi officinas ſalinas prope Oldesloam Comitis Holſatici Adolfi Tertii, olim deſtruxiſſe fertur in Annalibus patriæ à Nobiliſſimo *Witfeldio* noſtro Cap. 2. Chron. Dan. ad ann. 1182. ſcriptis; ſed incolarum deſidiæ adſcribendum, ſi proprio ſale factitio deſtituamur, qvod ex alga marina nonnulli in Cimbria diligentiores coqvunt. Ex aqva marina alveis ſuis excepta, coacto humore aut ſiccato, ignis noſter factitius ſal denſare poteſt, qvod Solis calore in Sicilia factum memini,

ut niſi meridie cœcutiamus, ubiq; nos ambientem, nobisq; ſubjectam ſalis cauſam & nitri offendamus.

Ulteriore greſſu ſi villicum ad ſtabulum comitemur, apud vaccas noſtras domeſticam ſtabulari medicinam in confeſſo erit. Lac enim ulceribus pulmonum potum confert, dolores mitigat, acres oculorum fluxiones ſedat, oris phlegmonas gargarismatis vice extinguit, inteſtina lacera ſanat, & ubiq; alvum lubricat enematis injectum, venenis deniq; delendis accommodum. Extra dolentibus articulis inunctum, dolorem mitigat, & epotum vitia articulorum arcere nupera, poſt *Hippocratem*, *Celſum*, *Plinium*, plurimorum arthriticorum confirmavit experientia. Serum ejusdem lactis acres in corpore humores temperat, per alvum veſicamq; eliminat, ſitim ſedat, & mille alia auxilia præſtat. Pingve lactis ſeu cremorem, qvia calefacit, ac humectat, oleo *Matthæus de*

Gradibus Conſ. 107. præfert, cui butyro olei vim ineſſe ipſe *Plinius* l. XI. c. 14. fatetur, qvod iccircò oleo in lucernis ſubſtituerunt Chriſtiani veteres, obſervante *Clemente Alexandrino* L. I. Pæd. cap. 6. & in vulneribus elephantorum epotum auxiliabatur, ſi credimus *Straboni* l. XV. Geogr. Idem hoc phlegmonas in carne concoqvit & digerit, illoq; prorſus ſolo multarum partium tumores curavit *Galenus* l. X. de ſimpl. Med. fac. gingivisq; puerorum dentientium aſſiduè illito, gingivas extenuavit. Cataplasmatis inditur qvæ extrinſecus imponuntur parotidibus, hypochondriis & bubonibus, in ventrem devoratum & ex eo diſtributum magnificè confert expuitionibus ex pulmone, in pleuriticis affectibus & peripneumonicis. Recens multo ſaccharo temperatum ad veſicæ lapidem plurimum conferre experimento *Walleriolæ* L. III. Obſ. 5. credimus, qvod alii oleo amygdalarum non infeliciter tentant, Ca-

ſeoſæ

ſeoſæ deniq; lactis ſubſtantiæ miras in podagricis tophis reſolvendis virtutes deprehendit *Pergamenus* laudatus. Cum enim illi olim allatus eſſet caſeus bubulus, qvem ex odore acrem eſſe conjiciebat, abjecit, & mox à famulis abſumptum exiſtimavit. Cæterum illi talia ſervare ſoliti, longo poſt tempore ex promptuario proferentes, qvidnam de illo fieri juberet, rogarunt. Cum igitur eſui eſſet ineptus, qvia vetuſtate vehementior, ludicrum illis problema extitit, cui rei ille uſui eſſet. Interea cum ad *Galenum* arthriticus in curru vectus eſſet, calloſas durities ſeu tophos in articulis habens, conſilium cepit cruris ſuilli ſalſi decocto caſeum macerare, ac probe in mortario ſubigendo unitum, tophis imponere, qvo medicamento arthriticus miro ſucceſſu adjutus eſt: Nam rupta ſponte ſua cute, absq; inciſione, effluxere qvotidie citra dolorem tophorum particulæ. Eundem recentem cum ſaccharo in

macie alii laudant, & ex alterutro Veneti vulneribus glutinum parare conſveverunt more fabrorum lignariorum, additis calce & ligno ſerrâ detrito. Ipſum ſtabuli inqvinamentum, terræ omnis nutrimentum, tumoribus emolliendis cancroq; inſervit, ne medicinas ex aliis ſtabuli incolis eqvis, capris, ovibus, operoſo ſtudio commendem, qvia cum villico noſtro ad hortum villæ adjacentem properamus, qvi rudis qvidem & incultus, ſaluberrimis tamen plantis ſponte ſua vel levi opere ruſtico in ſufficientem cujusq; familiæ uſum luxuriat. Spreta urticæ radix icteri remedium eſt, ſemen aſthmatis, tenera folia alvum ſuppreſſam concitat. Calcata in ſemitis plantago, vulgaris notitiæ herba, omni alio officinarum peregrinarum delectu præſtantior, foliis externa vulnera & inflammationes, ſucco omnem ſangvinis fluxum ſedat & ſiſtit. Atriplices, inprimis bonus Henricus articulis, abſin-

ſinthium; hepatica, acetoſa ventriculo hepatiq;, hedera terreſtris, cannabis veſiculæ felleæ, lupulus, fumaria lieni, mentha ventriculo, tormentilla, (qvæ in Inſulis qvoq; Feroenſibus, referente *Petro Claudio* in Norvegiæ Deſcriptione cap. 32. tam copioſè provenit ad ſubigenda coria & ſuum eſcam, ut famuli ruſticorum ſingulis diebus effodere teneantur tormentillæ tonnam mediam,) carum, rubus inteſtinis, matricaria, artemiſia utero; parietaria, fragaria, eqviſetum, erica, lithoſpermum veſicæ renibusq;, hyſſopus, lapathum, pulmonaria utraq;, veronica, tuſſilago, viola martia pectori, angelica, calendula, petaſites, roſa, rubus idæus cordi, betonica, primula veris, nymphæa, verbena capiti, chelidonium majus, euphraſia oculis, domeſticam opem ſpondent; malva omnis, communis pariter & roſea, ruſticorum propria, ad viſcera temperanda roſis peregrinis ſubſtituitur rectius,

ctius, & ſinapi piperis, petroſelinum iriſq; noſtra iridis Florentinæ, raphanus zedoariæ, Salvia & majorana roriſmarini, lilium convallium ſtoechadis vicarium, nulla ſui parte exoticis, exoletis, incertis, incredibili vendentium avaritia pretioſis cedunt. Ipſa braſſica ruſticorum, qvæ cæteris oleribus antiſtat, tam cruda qvam cocta, omnibus pharmacopoliis palmam dubiam facit, ut non ſine cauſa, illâ in hortis omnium ruſticorum visâ, ſterilem ſibi meſſem in Dania præſagiverit olim Medicus peregrinus. Cruda cum aceto, mirificè concoqvit, alvum bonam facit, ac obſeqventem, qvam ſi dejicere voles, ſuperioris cymæ decoctæ ſuccus tantum bilis, *Catone* autore de R. R. cap. 156. pituitæq; ejiciet, uti miraturus ſis, unde tantum ſiet. Si tibi ægrè lotium eat, & ſubſtillum ſit, ut ille loqvitur, juſculum frigidum ſorbere & ipſam braſſicam eſſe oportet. Crambe minutis caulibus, tenerioribus

foliis,

foliis, tenui ſucco vehementiſſima, ad omnes tumores, ad omnia vulnera imponitur. Omnia ulcera purgat, ſanaq; facit ſine dolore. Eadem tumida concoqvit, eadem erumpit, eadem vulnera putrida cancrosq; purgat, ſanosq; facit qvos aliud medicamentum curare non poteſt. In luxatis, ulceribus mammarum, carcinomatis, morbo articulari, aliisq; affectionibus qvamplurimis, virtus crambe etiam bis coctæ deprædicatur, &, qvod mirandum, lotio ejus qvi braſſicam eſitaverit, præclaros uſus aſſignarunt Agriculturæ magiſtri: pueros enim puſillos, ſi laves eo lotio, nunqvam debiles fieri, & qvibus oculi parum ſunt clari, eo lotio inuncto, plus videre; Si caput aut cervices dolent, hoc lotio caldo lavatos deſinere dolere, & ſi mulier eo locos foveat, nunqvam viroſos fieri: Summa, nullam rem tam benè purgare, neq; elleborum, neq; ſcammonium, & ſine periculo, & citò ſalubrem eſſe corpori.

Rapas ſuas braſſicæ ſi junxerit hortulani noſtri induſtria, nihil ferè majus optari poteſt, qvarum ſuccus expreſſus, conſilio *Cratonis*, certam deſperatæ tuſſi ſalutem affert.

In ſepibus hinc inde eminent Prunus ſylveſtris ad omnem adſtrictionem utilis, Ceraſus fructu capiti, floribus alvo clauſæ conſulens, ſalix, cujus folia obœſum corpus & prominulum aqvaliculum extenuant, ſudoremq; poris eliminant, rami convulſiones epilepticas inhibent, deniq; ne longior ſim, ſambucus non tam horti ornamentum, qvam ſperatum plerorumq; morborum auxilium. Qvanqvam arduum, miſerrimum atq; infelix ſambuci lignum *Lucilius* traduxerit; in eo tamen plus medicinæ latet, & tutior omni tempore ſalubritas, qvam in pompoſis Antidotis, patre Theriaca & Matre Mithridatio, in qvibus oſtentationem artis & portentoſam ſcientiæ venditationem deteſtatur *Plinius* l. XXIX. c. 1. ut

capro-

eapropter qvi ſambuci turiones, flores, fructus, corticem, medullam, & qvicqvid deniq; divina arbor producit, in aqvis, acetis, electuariis, globulis, aliisve formulis familiaria ſibi reddiderit, vomitu, ſudore, alviq; beneficio magnorum morborum injurias tanqvam ex facili eludet atq; excludet, de qvibus hic parcior ſum, qvia pleno commentario *Blochvitius* rem omnem perſeqvutus eſt.

Jam extra villam ſi promoveamus pedem, tam variis prata herbis ſpectantium oculos mentemq; delectant, incolarum commodo à Deo ſparſis, ut dici ſatis non poſſit. Campi verbaſco, ſenecione, argentina pleni, alchimilla, brunella, centario, geranio, millefolio, hipperico, ulmaria referti, aſparagis & abrotano conſiti, ſatyrio variegati, cichoreo, hyoſcyamo, papavere, taraxacone conſperſi, ranunculis florentes, malvâ, chamæmelo, meliloto ſurgentes, omnibus ferè ſcopis Medico familiari

liari ſatisfaciunt. Agris læta ſegete ri-dentibus flores Cyani inſperguntur pro oculis, & vilis zizania, peroppor-tunum hæmorrhagiæ præſidium. In-terlabentibus fluminum, rivulorum, lacuum aqvis, præter alia, lentem pa-luſtrem oculorum rubori, nymphæam gratam capiti cordiq; temperando Nympham, caltham, trifolium, aliaq; inſtravit Natura ſagax; ut varia piſ-cium genera hinc inde natantia, & ex ſingulis utilia remedia, temporis par-cus tranſiliam, partito labore, majore etiam fide, rerum harum peritis, *Wor-miis*, *Schonveldiis* & aliis patriæ amanti-bus relinqvenda. At ſylvarum vicina-rum immenſa beneficia, reſinas, picem, folia, cortices, fungos, ſuccos, fructus & ſexcenta alia, ut cornua in feris ta-ceam, qvisqvis æſtimaverit, ea medicæ artis inveniet ſubſidia, qvovis Cedro nobiliora, qvavis Confectione Alker-mes præſtantiora, nobisq; noſtro ſole calentibus magis convenientia. Ocea-

num

um noſtrum ſi cum audaci Japeti ge-
nere, vel potius cum *Munckio* noſtro
ad mare glaciale & Grönlandicum
magno animo ſed minore fortuna pro-
fecto, ad ſalutem popularem conver-
tamus, ut ſperma ceti, nobiliſſimi uſus
medicamentum prætercam, ex ſolo
Unicornu Grönlandico, balenæ Nar-
rhal dente, orbis melioris pretium a-
vorum noſtrorum memoria æqvante,
omnium jam vota ſupplebimus, ſive
febris vulgaris viſcera urat, ſive mali-
gna peſtilensq; conſumat, ſive deniq;
lentus in abdomine humor partes di-
ſtendat, uno hoc remedio ſuſpecti pre-
tii dubiæq; virtutis lapides Bezoarticos
ſuperaturi & eluſuri. Qvocunq; ſub
axe Daniam proſpiciamus, Naturæ fa-
ventis munera ubiq; ſe explicant: tam
enim præſenti Numine plena eſt uni-
verſa, ut facilius remedia qvam morbi
inveniantur, ſæpeq; ſteriles in agris
plantæ ad ægritudinem ſanos incolas
invitare videantur. Maxima naturæ
beni-

benignitas in remediis inqvilino mor-
bo Scorbuto oppoſitis elucet, qvæ fru-
ſtra ab aliis ſollicitamus. Horti noſtri
cochlearia, naſturtio, becabunga, læto
proventu perennant. Publicè qvoq;
in pratis udisq; locis chelidonium mi-
nus, trifolium aqvaticum, cochlearia
minor duplex, omnium deſiderio ex-
ponuntur. Norvegia terram antiſcor-
buticam fert, & Chamæmorum huic
ſolo propriam, ſupraq; Medicorum
ſpem & expectationem poſitam, qvæ
cruda, condita, in ſpiritum attenuata,
palato pariter & torpidæ ſcorbutico-
rum affectioni inſervit, noſtrisq; pro
Panacæa probatur.

Tantis muneribus dotatâ patriâ
Naturæ indulgentiam ſpreviſſe cenſe-
bitur, qvi ſpretis neglectisve inqvili-
nis remediis, exterarum mercium,
qvas non raro vendentium inſatiabi-
lis libido vel corrumpit vel aucto pre-
tio ſolis divitibus concedit, ſui faſtidio,
alienâ cupidine, amorem proprii

boni

onis præferat. Præclarè monet *Celſus* ræf. lib. 1. etiam imperitiſſimas gen-es, herbas aliaq; prompta in auxilium ulnerum morborumq; noviſſe. Cur le gentis noſtræ peritia deſperamus, vam in rebus domi natis exercet aud infeliciter? Ruſtici noſtri empi-ici ſunt, neglectisq; pharmacopoliis, ortos ſuos camposq; conſulunt, feli-citerq; non rarò & febres vini ſpiritu, anunculo, lumbricis jugulant, & A-vam intercutem tormentillâ, ſambu-o, aliisq; domeſticis exſiccant. Nuper dmodum in villa noſtra colonus ſe-curi improvidâ digiti partem prorſus ibi amputans, ſolâ cute reſiduâ, felici-er ſine Chirurgi operâ, qvem ne allo-qvi dignatus eſt, ipſum ſe unguento ex Cerâ, butyro, & terebinthina perſana-vit. Alius fractum crus ſolo ovorum oleo, & omento ſuillo ſibi propriæ li-gaturæ auxilio conſolidavit. Multa hoc genus hominum ſervile ſine rati-one efficit, qvæ ſplendidius inqvilinis

medi-

medicamentis Medicus, ratione utens, & tutius illorum in gratiam præſtat, qvibus

--- *dulce malum mortalibus additum*
Vitæ dirus amor.

Utinam igitur vigeret adhuc lex *Platonis* laudata, qva interdicebatur, ne qvis à vicinis aqvam peteret, priusqvam in ſuo altum fodiſſet; niſi me animus valdè fallit, tam ſvaves aqvæ noſtræ forent, qvam in Mileto, tamq; ſalutares apud fontes S. Helenæ, Laurentii, Catharinæ, S. crucis in Selandia noſtra, qvam aqvæ medicatæ aliis decantatæ, qvibus nec cedunt ſulphureæ in Islandia, & aliæ paſſim, qvæ ligna injecta in petræ ſoliditatem condenſant: tam juniperi, fraxini, pini, abietis, aliarumq; arborum noſtrarum, & ipſius ſuccini, maris noſtri excrementi, utiles gratiq; eſſent accenſi halitus, ut peregrinos Myrrhæ odores cum Arabia, nec ab exteris petere foret neceſſe, niſi tanta cuiq; rerũ ſuarũ ſit ſatietas, & aviditas alienarum.

TH.

TH. BARTHOLINI
De
Medicis Danorum
Inventis,

DISSERTATIO SECUNDA.

FRuſtranea foret benignæ Naturæ indulgentia, ſi nemo eſſet qvi eâ pro dignitate uteretur, qvanqvam enim omnibus expoſita ſit, à paucis tamen vel detegitur, vel detecta propalatur. Utrumq; ſapientis eſt, cui ſemper reſtabit qvod inveniat, qvoq; animus ejus excurrat, ut alios inventa docere, in autoritatem ſcientiæ ſit. Etiam hoc paſſu Daniæ felicitatem augent felices Naturæ inqvilinæ & extraneæ Interpretes, qvi ſoli cœliq; noſtri commoditate uſi, & Naturæ arcana

 inſti-

inſtituta ſcrutati ſunt, & reperta myſteria in humanæ valetudinis emolumentum converterunt. Invidendas hac parte proles hactenus patria educavit, & animas ſeculorum memoria dignas.

In cœlorum ſcientia qvid præſtiterit immortalis famæ *Tycho Brahe* noſter, tam notum eſt omnibus qva Titan ſurgit caditq; ut cœlo ſtellas addere videretur, qvi pleniore pennâ qvam *Gasſendus* Tychoniana inventa, detectas ſtellas, ſiderumq; obſervationes exponere præſumeret. Inter diſcipulos princeps *Chriſtianus S. Longomontanus* Senior octennii in Inſula Venuſina obſervatione & multorum poſtea annorum in Academia Hafnienſi labore, qvantum Danicam Aſtronomiam perfecerit, publica ſcripta loqvuntur, teſtaturq; Aurea Turris obſervationi ſiderum ab Auguſtiſſimo Rege Divo *Chriſtiano IV*. deſtinata, cujus ille fundamenta jecit, ut ſilentio involvam Cir-

culli

culi Qvadraturam majore ingenio & conatu qvam applauſu, inventam ab illo & defenſam. Aëris mutationes & prædictiones, ad uſus agricolarum medicorumq; ex Domini ſui Tychonis inſtituto, ita vulgari ſermone expreſſit *Petrus Flemmeloſius*, ut nihil plebejum ſapere hominem ad plebejos ſcribentem fateamur. In reliqvis Divinæ Matheſeos partibus qvanta inventionum gloria apud nos deſudarint *Thomas Finckius* Senior, *Chriſtophorus Dibvadius*, & *Eraſmius Bartholinus* Medici pariter & Mathematici illuſtres, nemo inter eruditos ignorare poteſt. *Thomas Finckius* Avus noſter maternus, editâ Geometriâ Rotundi & Horoſcopographia Doctiorum ſalivam movit. *Chriſtophorus Dibvadius* non in Euclide tantum præclarè illuſtrando occupabatur, ſed incredibilis diligentiæ & eruditionis opus de Menſuris & Ponderibus tam Medicis qvam civilibus ad Mathematicam ἀκρίβειαν conſcripſit, qvod fatorũ iniqvitate,

qvum ipſe impeditus, carcereq; detentus in publicam lucem proferre non poſſet, in familia noſtra illibatum ſervatur, fratrisq; mei *Eraſmi Bartholini* obſtetricantes manus exſpectat. De laudato fratre nihil dicam, ne affectui fraterno imputetur qvidqvid pro veritate dixerim. Judices alios acclamo in hac palæſtra exercitatos, qvi poſt *Vietam* & *Carteſium* Analyticæ artis perfectionem huic tribuunt, qvod ex Dioriſtica illius eſt manifeſtum. *Marcum Meibomium*, Doctiſſimum amicum noſtrum, penè prætermiſiſſem, cujus ſubtilis de Proportionibus novis Dialogus, Medicis & Mathematicis novum lumen accendit. Sed omnes recenſere non vacat, qvi nomina ſua albo æternitatis conſecrarunt, qvos in Bibliotheca Danica *Albertus Bartholinus* frater ab interitu ſecum vindicavit. Laudatos Viros ſicco pede præterire non debui, qvia ad Medicæ artis complementum Matheſis ſpectat, & pleriq; Mathematici

Medi-

Medicinæ qvoq; laude floruerunt. Pro ingeniis Danorum panegyricum non ſcribo, tacere tamen non poſſum, qvanqvam ad ſumma enitantur qvocunq; ſe conferunt, plerumq; ad Matheſin & Poëſin naturali qvadam propenſione ferri, in qvibus ita eminent, ut nulli cedant. Egò verò intra Medidicinæ terminos in præſenti conſtrictus, ne longius excurrat calamus, ad patriæ laudem promptus, qvantum naturalem ſcientiam & Medicinæ artem vel illuſtrarint, vel novis inventis auxerint Daniæ cives, neceſſaria brevitate ſignabo.

Ad herbas inqvilinas inqvirendas deſcribendasq; operam ſuam felicem contribuerunt noſtra ætate *Georgius Fuiren*, *Joachimus Burſerus*, *Simon Paulli*, Medici apud nos Clariſſimi. *Georgius Fuiren*, Medicus Hafnienſis benè meritus, univerſam Daniam ejusq; remotiores inſulas in mari Balthico peragravit ut domeſticas plantas accura-

tius notaret, Vir extra omnem ambitionem poſitus, clariorq; futurus ſi famam ſingulari experientia Medica & rerum naturalium peritia meritam voluiſſet aucupari: maluit enim Clariſſimis liberis orbem demereri, qvam libris, qvorum copiâ nonnunqvam laborare officinas non ignorabat. Ne periret tamen ſuſceptæ peregrinationis labor, catalogum inqvilinarum herbarum contexuit, qvem beneficio filii *Thomæ Futren* publicè in Ciſta Medica Hafnienſi curioſis legendum exhibuimus. *Joachimus Burſerus* in Academia Sorana Medicus notæ famæ & peritiæ, qvo cum tanta familiaritas Parenti noſtro beato interceſſit, ut in ædibus Burſerianis extrema lumina claudere voluerit, immenſo labore ex plantis in Dania naſcentibus à ſe collectis, Herbarium vivum concinnavit, adjectis ſingularum nominibus & virtutibus, qvod poſt Authoris exceſſum in Bibliothecam *Sefeldianam*, mox

mox bellorum viciſſitudine in *Cojetanam* conceſſit, ubi adhuc ſervatur cum aliis XXX. numero voluminibus ejusdem Authoris, mihi ab Illuſtri Poſſeſſore deſtinatum, cujus Burſeri noſtri inſtitutum pluribus jam Lectori propalarem, ſi per alia negotia graviora fidem ſuam exſolvere potuiſſet laudatus Vir Illuſtris, publici amantiſſimus, qvod brevi futurum auguramur. Deniq; *Simon Paulli*, qvi primus magna nominis celebritate in Academia noſtra Anatomen & Botanicam profeſſus eſt, Floram Danicam uſibus incolarum accommodavit, deſcripſitq; non vulgaris tantum notæ herbas, ſed ab aliis hactenus neglectas vel inviſas, inprimis Cochleariam minorem utramq; erectam & repentem, in Inſula vicina Amagria à *Parente* olim noſtro & Magno *Olao Wormio* inventam, ut taceam infinitas alias de Re Herbaria obſervationes, qvas doctior pollex premit, in Qvadripartito Aucto proditu-

ras. Floræ affinitate juncta Chemia, nihil non debet *Petro Severino* Dano, Archiatro olim Regio, qvi Paracelſi infantiam virili habitu ornavit, atq; novis laciniis illuſtriorem ejus purpuram fecit. *Ahaſverus Payngk* Medicus Hafnienſis, notæ primæ amicus, tanto ſudore ignis beneficio & ingenii artem hanc exercuit, ut ignota qvamplurima & rara, in Chemiæ ſplendorem & augmentum primus eruerit, in Ciſta Medica nobis ſignata. Mira eſt & ſupra qvam dici poteſt magna *Olai Borrichii*, Collegæ noſtri, in hoc ſtudiorum genere curioſitas, qvam ita Polyhiſtor aliis prudenter temperat, ut dubitemus an Medicus Chemicusq; major ſit, an Philologus doctior. Inaudita expertus eſt, & majora ſpondet ſubactum capaxq; multarum ſcientiarum ingenium. Pharmaceuticas noſtras thecas Compoſitionibus novis variis auxerunt, qvibus pro ſanitate recuperata ægri vota exſolvunt, Elixir Pe-

ſtilen-

ſtilentiale *Tychonis Brahei* omne contagium per poros corporis certiſſimo emolumento expellit. Aqva Antiscorbutica *Olai Wormii*, & altera *Tancredi Lælii*, Medici Hafnienſis incolarum endemio hoſti Scorbuto pellendo ſufficit. Diacorum *Jacobi Haſebardi* cordi robur addit. *Parentis* noſtri Rotulæ peſtilentiales, tutos à contagio præſervant. *Arniſæus*, *Fabricius*, aliiq; Archiatri qvid huc contulerint, Diſpenſatorium noſtrum Hafnienſe loqvitur, cui augendo, reformando, illuſtrando magna laude deſudarunt *Medici Hafnienſes* in Proœmio à me ibidem nominati. Ignorant aliorum officinæ ſpiritum mori Norvagici, cochleariæ Danicæ, Unicornu verum, trifolii aqvatici Decoctum. Deſtituuntur pulvere Diajalappæ *Fabricii*, Aqva Ophthalmica *Arniſæi*, extracto trifolii aqvatici, jalappæ roſatæ *Sim. Paulli*, pilulis leniter aperientibus *Pauli Moth*. Superſedemus recenſendis plebejorum Compoſitionibus, qvas, reliqvis

deficientibus, non raró ſalutares, pro vulgo noſtro haud inutili opera collegerunt *Henricus Smidius*, civis Malmogienſis, & *Nicolaus Michaelius* Paſtor Hafnienſis. Noſtro Seculo *Torchillus*, Ruſticus Cimber, unguentum polychreſtum miſcuit majoris uſus qvam artis, ad vulnera omnia efficax, & *Wilhelmus Trelund*, civis Hafnienſis, decoctum publicè divulgavit cruento ventris fluxui oppoſitum.

In reliqvæ naturæ ſcientia eluxit qvoq; præ cæteris ſagax Danorum noſtrorum ingenium. Pulverem pyrium ex ſulphure & ſale nitro mixtum Monachus Cimber primus invenit, incertum majori mortalium damno vel commodo. De inventore primo non dubitat *Munſterus*, & fuſe *Iſ. Iſaac. Pontanus* in Hiſt. Danica rem totam enarrat, qvanqvam primam novi reperti gloriam Friburgenſi Monacho attribuant nonnulli, & *Forcatulus* l. IV. de Gall. Imp. & Philoſ. Teutonicum

con-

oncedat, nomine *Bertholdum Schuvar-um*, qvia communi Germanorum ap-ellatione etiam Cimbri apud Italos ;allosq; veniunt. Sunt qvi inventori uic mala qvævis & diras imprecen-ur, qvod ad bombardarum funeſtas xploſiones pulvere pyrio anſam dede-it. Sed ego omni encomio dignum udico, qvod ingens hoc naturæ ſecre-um occultare noluerit, ex qvo tot ad nortales commoda emanant, & bella ninus cruenta exercentur. Inveniendi ccaſionem diligenti Monacho Natura pſa ſubminiſtravit, qvam curiosè ſcru-abatur. Chymicum enim fuiſſe ex *Aarcello Vergilio*, *P. Ramo*, & *Forcatulo* rodit *Salmuth* ad Pancirollæ Reperta Nova Tit. 18. & ſervaſſe aliqvando do-ni in mortario pulverem ſulphureum, ujusdam medicinæ faciendæ cauſa, lludq; texiſſe lapide, ac inde contigiſſe, t dum ignem ex ſilice prope excute-et, ſcintilla intro ciderit, ſubitoq; ammma eruperit, atq; lapidem in altum tule-

tulerit. Inde ille ejus rei caſu doctus postea factâ ferreâ fiſtulâ, & pulvere confecto, machinam reperiſſe dicitur. Egregios Naturæ motus ſi poſteritati invidiſſet Monachus noſter, culpâ non vacaret, qvam ingenuitate & ardenti publicum juvandi ſtudio præſtare nullo jure tenetur. Qvod ſi ſuccedentium malorum reus ille peragendus; incuſandi qvoq; erunt præclariſſimarum rerum inventores primi, ferri auri, vini, frugum, qvorum deteſtamur abuſum. Certe invento ſuo plurimum poſteris ſuis profuit Monachus Cimber, qvavis laureâ dignus. Pulveris enim pyrii uſus, propter nitrum, febricitantibus utilis ſi deglutiatur, vel carpo in cæpa applicetur, vulgi noſtri experimento. Ejusdem beneficium eſt, qvod obſeſſa Urbs Regia fortiter ſe gerentibus incolis, auſpiciis, vigilantiâ & fortitudine Invicti Regis *FRIDERICI III.* Domini noſtri ſacratiſſimi, nuper ſit defenſa. Non igitur male audire debet

ebet inventum, qvaſi à Jove tonante
utuatum vel ſuffuratum, qvanqvam
x Venetorum monumentis apud
hytræum in Itinerario, evomuiſſe Cer-
erus dicatur

--- *triplici de gutture flammas*
ſulphura, ſal, nitrum, fulmina, bella, globos:

am vulnera hoc inſtrumento inflicta
on æqvè periculoſa cenſentur, qvam
væ telis vel ſagittis conficiuntur. Hæ
nim cruorem provocant, partes dila-
erant, difficulter infixæ extrahuntur:
t pulvere pyrio cruor reprimitur,
arsq; vulnerata roboratur, & à gan-
ræna facilius defenditur, aut ſi mori-
ndum, celerius mors acceleratur, ſine
ongo infixorum telorum tormento.
Addo minus cruenta eſſe bella poſt
epertas à Monacho noſtro bombardas
ncerto ictu aërem fumo repletum ſæ-
ius petentes qvam hoſtes, qvum cer-
ius ſuas ſagittas etiam fugientes o-
im Scythæ maxima hoſtium ſtrage
miſerint; adeò ut rarò victoriæ bom-
bardis,

bardis, ſæpius gladiis legantur reportatæ. Julianus Caroli V. atq; Philippi filii præfectus peditum, Duci Sabaudiæ confeſſus fertur, ſe ſæpius ad ſpeciem ſolere uti ſclopetariis, non ad neceſſitatem; ſed poſt primum impetum abjectis fulminantibus, gladiis reportaſſe victoriam, neq; unqvam hac ratione fruſtra pugnaſſe. Prælia noſtrorum temporum celeberrima ſilentio prætereo, qvæ ſæpe cominus conſerta manu gladiisq; armata feliciter ſucceſſere. Tam deniq; bombardis ſclopetisq; noſtris vile in militia pretium ſtatuit *Lipſius* magnus L. V. de Mil. Rom. ut doceat majorem fundarum vim atq; impetum fuiſſe. Infenſi huic invento, æqvum tamen eſt judicium *Forcatuli* L. IV. de Gall. Imp. & Phil. veriſimile eſſe Deum ſingulari qvodam judicio ſiviſſe hoc tormentum recenter reperiri, idq; à Chriſtiano homine, ut mutuo terrore affecti mortales, nec viribus ita confidentes, facilius alerent

con-

concordiam, & bella deteſtarentur, incerti & mortiferi ictus timentes aleam. Præclarum igitur nobiliſſimumq; innocentis militiæ fundamentum & potentis naturæ oſtentum Cimbro grata debebit poſteritas. Non minus ſe aliis aperuit Natura, qvi ſollicitâ curâ illam ſollicitarunt, præſentemq; in Muſæis coluerunt, ſicut *Olaus Wormius* antiqvitatis Danicæ & Naturæ omnis promus condus, eumq; felici æmulatione ſeqvuti *Chriſtianus Fabricius* & *Henricus Fuiren* Medici Hafnienſes & Naturæ Conſulti, qvorum ille domi ſervat, hic Academiæ patriæ legavit qvæ ſparſim per orbem univerſum natura viſenda produxit. Taceo Illuſtris Præſidis Sorani *Georgii Roſencrantzii* in colligendis rarioribus Naturæ peritam curioſitatem: Nam amplam iſtorum ſupellectilem admirari nemo poteſt, qvi ad Auguſtum Sereniſſimi Regis *FRIDERICI III.* Domini noſtri Muſæum pretioſis pariter & ra-

& rariſſimis Naturæ Artisq; miraculis inſtructum admiſſus fuerit. De frigoris & caloris cauſa nova qvæ ex ingenio ſubacto commentatus non ita pridem eſt Avunculus noſter, *Jacobus Finckius*, Phyſices Profeſſor Regius, manibus omnium teruntur, qvibus

ultima naturai
Pervideas, & res accendunt lumina rebus.

Ad Divam Anatomen properat calamus, qvam ſingulari cultu Daniæ cives proſeqvuti ſunt, novisq; inventis currente ſeculo ſplendide & ad multorum invidiam exauxerunt patriæ gloriæ vindices, qvorum

---- ---- prudentia monſtrat
Summos poſſe Viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria craſſoq; ſub aëre naſci.

Qvam in hoc naturæ ſtadio gloriosè decurrerit Parens noſter *Caſpar Bartholinus*, publico candidorum judicio relinqvo,

inqvo, qvi totiens cuſas & recuſas In-
itutiones Anatomicas, novis obſerva-
ionibus & opinionibus refertas in-
pexerunt. Omni laude major *Olaus*
Wormius, cujus virtutes & famam &
vicqvid in tanto Viro admirati ſu-
nus, gratâ memoriâ ſemper recoli-
nus, in ſuturis cranii primus oſſicula
aria, velut inſulas in Oceano vel flu-
iis, obſervavit, qvæ oſſa Wormiana
ominare volui in Anatome Reforma-
a. Nova non pauca in publicis diſſe-
ctionibus advertit *Simon Paulli*, cujus
am ante mentionem debito honore
roſeqvutus ſum, qvi in Theatro Ana-
omico nuper tum extructo primus
natomica exercitia inſigni applauſu
rſit. Qva felicitate & aſſiduitate nos
er decem & qvatuor annorum decur-
um in eodem Theatro Academico in
ecandis humanis cadaveribus utriusq;
exus & ætatis deſudaverimus, manusq;
ario animalium ſangvine cruentave-
mus, ſpectatorum confeſſio, & variæ

obſervationes, muſculi, vaſa, ductu
uſusq; ſingulorum in Anatome Refo
mata, qvæ varias officinas & dialect
exercuit, breviter deſcripta, fidem m
tacente faciant. Poſt Anatomes huj
Reformatæ editionem primam, du
nova prorſusq; inaudita antea & inv
Vaſa favens Natura diligentiæ noſt
benignè revelavit, propter qvæ Hec
tomben immolare æqvum fuit. Ann
enim reparatæ ſalutis CIↃ IↃC L
LacteumThoracicumDuctum cum a
nexis glandulis lumbaribus Lacteis p
mus in cadaveribus hominum obſe
vare contigit, qvem in ſolis brutis *P*
qvetus ductum invenerat. Poſt paull
iisdem intento alia vaſa circa Hepar
artus occurrunt nulli ante mortaliu
qvod ſcirem, viſa aut deſcripta, q
VaſaLymphatica appellavi, qvia liqv
rem lymphæ limpidæ ſimilem cont
nent vehuntq;, de qvibus brevisſim
commentatus ſum orbemq; literatu
ad novas cogitationes & ſuppoſition

in Medicina excitavi, qvæ, licet variis Medicorum eruditorum & curioſorum voluntatibus agitata, nomen ſuum apud omnes, à plerisq; applauſum ſenſim obtinuerunt, à multis inſigne incrementum, qvibus deinde augendis & divulgandis operam ſuam ſtrenuè commodarunt diſcipuli tum mei, poſtea Clariſſimi Medicinæ Dores, *Henricus à Möinichen*, *Michael Lyſerus*, *Martinus Bogdanus*, *Georgius Segerus*, donec jam à *Nicolao Stenonis* Hafnienſi, diſcipulo qvoq; olim meo, nunc amico charo, inuſitatæ induſtriæ & felicitatis Viro, ultimum complementum expectent. In Anatomicis multa præclara idem *Stenonius* noſter orbi propropoſuit deſcripſitq;, in primis Vaſa ſalivalia exteriora, Vaſa buccarum, Vaſa ſublingvalia minora, Vaſa palati, meatum anteriorem è naribus in palatum, Vaſa Epiglottidis, narium, vias à palpebris in nares, vaſa palpebrarum, Lymphaticorum inſertiones, ingreſ-

ſumq; vitelli in inteſtina pullorum, & qvotidie indefeſſa manus & ingenium curioſum nova parturit. Vidimus ſingula ab ipſo demonſtrata, & patriæ gratulati ſumus de fauſto Anatomes progreſſu. Præterea muſculorum fabricam prorſus novam & elegantem, cordisq; diſſectionem non ſine admiratione apud eundem vidimus, qvod ita nervosè retexuit, ut fibrarum omnium complexum inſtar cochleæ circumvolutum & ex mucrone iterum ſurſum adſcendentem intueremur, nilq; dubitaremus cum *Hippocrate* Cor muſculum verè vocare. In Chirurgicis acqvievimus veterum operationibus & inſtrumentis. De Cauteriis tamen multa utilia ſcripſit *Parens* noſter. Et *Canuti Thorberni*, ruſtici Norvegi ingenio novum pro uvula abſcindenda inſtrumentum tribuimus, alibi in Hiſtoriis à me depictũ deſcriptumq;. Reliqvas Medicinæ partes intactas ferè reliqvere veteribus addicti majores

noſtri,

noſtri, niſi qvod *Jacobus Bordingius* Profeſſor Hafnienſis Pathologiam, Simioticam &c. optimâ methodo & perſpicua brevitate tradiderit, *Thomas Finchius* diſerto calamo Therapeutica propoſuerit, *Caſp. Bartholinus*, *Chr. Torchillus Morſianus*. *Joach. Schelius*, *Henr. Paſchaſius*, *Georg. Krugkius* in peſte præſervanda & curanda præclarè fuerint occupati: *Olaus Worm* Inſtitutiones Medicas nervosè paucis complexus eſt, & Controverſias Medicas pro re nata ſolidè agitavit. *Simon Paulli* novam febrium malignarum & petechialium cauſam eruit ex ſale volatili, & curationem faciliorem exinde ægris promiſit. *Erasmus Bartholinus* Arthritidis ſedem affectam prorſus novam ingeniosè commentus eſt, in cerebro vel principio potius nervorum qvam articulis qværendam. *Joannes Rhodius* Hafnienſis, ſed Patavina civitate donatus, novos eosq; multa eruditione plenos Commentarios in veteres Medicos *Celſum*,

Scribonium, *Vegetium* conſcripſit, & nova ex veteribus Analecta Medicarum Cautionum & Animadverſionum collegit, multisq; Obſervationibus novis Rempublicam Medicam ditavit, cujus nomen

Clarum toto fulget in orbe.

Alii Medici, qvos non paucos Dania eruditos genuit aluitq;, novis inveniendis ſummo ſtudio abſtinuerunt, non invidiæ causâ, ſed modeſtiæ. Turpiſſima cauſa eſt raritatis, rectè monente *Plinio* Lib. XXV. c. 2. qvod etiam qvi ſciunt, demonſtrare nolunt, tanqvam ipſis periturum ſit qvod tradiderint aliis. Accedit ratio inventionis anceps, qvippe etiam in repertis, alia invenit caſus, alia (ut verè dixerim) Deus. Satis pleriq; egiſſe ſe putarunt, ſi vel nihil novi invenirent, vel veteres renovarent, ſicq; judicio vulgi ſe ſubtraherent & ſiniſtro illorum fato qvi aliqvid inſvetum feruntur reperiſſe, non qvod vel ingenium defuerit vel

dili-

diligentia deſideraretur, vel invidia candorem ſubduceret, ſed ut ſuæ qvieti & ſecuritati rectius conſulerent. Audire mihi videor hos Choro Thebanorum apud *Senecam* Herc. Fur. concinentes:

Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per urbes
Garrula laudet, cœloq; parem
Tollat & aſtris: alius curru
Sublimius eat. me mea tellus
Lare ſecreto tutoq; tegat.

Hocq; inſtituto feliciores mihi viſi ſunt. Opus enim periculoſæ aleæ plenum eſt qvidqvam in medicina populari innovare, & antiqvitatis venerandæ frenos mordere, qvum vix veteris annorum multitudine firmatæ experientiæ Medicæ majeſtatem ſatis defendere qveamus, qvin malè apud vulgus audiat. Hoc fulmine territus non ſemel, qvanqvam in pueris noſtris, in prægnantibus, in ſenibus evacuandi ſangvinis neceſſitatem pernoſcerem, ad

inſolitum tamen moribus noſtris ſalutare remedii genus deſcendere auſus non ſum, ne fortunæ morbiq; incerti eventum tenerer præſtare. Veſtigia porrò minus proſpera terrebant non paucos, qvæ novarum rerum authores primos fefellerant. Rarò æqvis oculis ſurgentem aliorum famam meritaq; inſolita intuemur, ſed vel odio vel contemptu utiliſſimarum rerum inventores proſeqvimur. Ita bombardarum pulverisq; pyrii authorem *Monachum* ad tartara invidi plures relegarunt, alii tormentis Phalaridis adjudicarunt. *Tychoni Brahæo* poſt reſtitutam Aſtronomiam multis ſtellis detectis, ſolus canis ſeu moloſſus Anglicanus invidiam odiumq; concitavit, & ſpontanei exilii occaſionem dedit, ut procul à finibus patriæ remotus exclamare debuerit:

Dania qvid merui? qvo te, mea patria, læſi
Usq; adeò, ut rebus ſis minus æqva meis?

Qvan-

Qvantum mihi Lymphaticorum
/aſorum profuerit inventio, norunt
ıvi me norunt; nam ſi huic lymphæ
liutius me immerſiſſem, malè fortunæ
neæ conſuluiſſem & valetudini, qvum
auci hactenus lymphæ vinum addide-
int, ſed illâ potius me ſuffocari qvam
ıoc inebriari ſiverint pleriq; Dei ta-
nen munere, & Regis clementiſſimi
avore, contentus vivo:

—— —— *mihi parvula res ſit,*
Arcta decet ſanum comitem toga:

Nec invidebo, ſed mirabor magis, ſi
najore fatorum indulgentiâ hinc elu-
tentur qvi poſt me Oceanum iſtum
ngreſſuri ſunt. Felix ille mihi vide-
itur, qvi otioſus aliorum naufragia in
ttore intuetur. Nam, ut elegantiſ-
mè *Seneca* de Tranq. Anim. c. XIII.
vi multa agit, ſæpe fortunæ poteſta-
em ſui facit, qvam tutiſſimum eſt rarò
xperiri.

Alii deniq; novorum remediorum
bri, in contraria incidunt, dumqve

 ve-

veterem curandi rationem negligunt, qvam ignorant, novam, incertam & ſuperſtitione plenam ſubſtituunt. Hoc vitio tenentur nonnullæ apud nos feminæ medicaſtræ, qvæ ſola corporis commenſuratione, uteri ventriculiq; affectibus occurrunt, filoq; corpori ægro circumducto internas affectiones terrere conantur & exprimere. Ligaturas qvidem utero, abdomini, capiti, fracturis, luxationibus commodas ſcio, ſed menſuræ hujus modum cogor ignorare. Non diſſimiles illi, qvi ſubductis numeris & paroxysmorum multitudine inita, febres citiſſime etiam abſentes extingvunt, qvod Tinctoris noſtratis artificium infallibile perhibetur. Ignoſcant verò eruditi Lectores, qvod plebejorum inventa non expungam,

Interdum vulgus rectum videt, eſt ubi peccat,

& *Hippocrati* in Priſc. Med. viſum fuit, qvi de Medica arte diſſerere inſtituit, qvæ plebejis nota ſunt, dicere debere.

Dec

e veris Naturæ cultoribus, magnis in
ania Viris & inuſitatarum rerum ob-
rvatoribus ſermonem repeto, qvi-
us patria, ne erremus, præmia merita
eutiqvam denegavit, qvanqvam ſint
vi cum *Naſone* l. 2. Triſt. qverantur:

—— *ingenio eſt pœna reperta meo.*

Qvod pium prudensq; Sereniſſimo-
um Daniæ Regum à fundata ducentis
hinc annis Academia Regia Hafni-
nſi fuit inſtitutum, qvi non tantum
editibus ſufficientibus Academiam
am Viris eruditione & fama nulli ſe-
undis ſemper illuſtrem, ſed & immuni-
atibus omnibus clementiſſimè dona-
unt, qvæ cum Archigymnaſio Bono-
ienſi pari paſſu ambulant; ut ad capi-
ndam ingeniorum culturam, ad natu-
æ inveſtigationem, ad doctrinæ uberi-
ris mercatum, ad deniq; debiti hono-
is culmen aſſeqvendum, Maſſiliam,
el Athenas, vel ad Olympica certami-
a longo & moleſto itinere proficiſci
t ſupervacuum. Hic enim omnia
ſplen-

ſplendida & magnifica, Collegiis ipſi Auguſtiſſimi Regis præſentia fulgentii bus, Doctoribus in omni diſciplinarum genere florentibus, privilegiis antiqvii tate & excellentia nulli ferè Univerſitati inferioribus, Naturâ ipſâ & ingeniorum præclarorum fertilitate ſuprà regionii cœliq; penè captũ eminentiſſimâ; adeo ut qvicunq; alieni ſplendoris honorisq; indigus extra patriam, publica hac re rum facie, pedem efferat, injurius in De um videatur cœli noſtri, terræ marisq; authorem, in Regem clementiſſimum, qvo meliorem Doctioremqve orbis non habet, in Præceptores, qvorum fama & eruditio orbi li terato ſpectata etiam ab exteris celebratur, in Naturam deniq;, qvæ ſui copia & benignitate peregrinorum admirationi ſufficit, ſuorum in qvietos ingratosq; animos ſatiare neſcit. Omni bus, ut finem mihi imperem, qvi neglectis pro priis bonis, alios ſoles adorare geſtiunt, alio rumq; inventa ſuis præferunt, dictum velim qvod Juno Paridi apud *Coluthum*:

Ουκ ἀεὶ θεράποντες ἀριστεύουσιν Ἀθήνης.

Non ſemper cultores Minervæ præſtantiſſimi.

TH.

TH. BARTHOLINI
De
Morbis Danorum
curandis,
DISSERTATIO TERTIA.

ÆSculapii fanum extra urbem olim Romæ fuiſſe fide Romanorum accepimus, in qvo ſomnintibus remedia morborum offerentur. Nobis licet eſſe beatioribus, vibus obvia ſunt intra mœnia, intra erritorium noſtrum, in campis, ſylvis, omi foriſq; inqvilina morborum nororum remedia, ut aliud Æſculapii anum extra nos qværere opus non ſit. d Diætam ſalubrem patria alimentoum copiam ſuggerit, qvorum etiam uctus ad ægros ſpectat. Maximum enim

enim curandorum morborum mo-
mentum in ciborum delectu conſiſtit:
qvem patriæ incolæ naturali pene di-
xerim inſtinctu diſcernunt, qvippe bru-
tis inferiores haud cenſendi, qvæ ſibi
utilia decerpunt. Cervus læſus aqvarum
ſolatia ſua ſponte qværit. In pratis in-
veniunt ſingula qvod proſit placeatq;
In hortis araneæ virus, apes mel ſugunt.
Inter domeſtica animalia, canes oſſa
vorant, qvibus coqvendis ventriculus
illorum ſufficit. At corpus vomitu ex-
purgaturi, gramen carpunt. Et ſi ad
unum idemq; præſepe varia animalia
invitentur, fœnum non deguſtabit ca-
nis, nec carnem eqvus. Ita etiam na-
tura duce, ſi ratio accedat, qværere a
nemine edoctus homo noſter poteſt
qvod utile eſt, & fugere nociva. Nemo
tam ſtupidus, qvin ſciat, æſtuantibus
calore febrili viſceribus, frigidam po-
tionem extingvendo incendio expe-
tendam, & verſa vice, frigido ventri-
culo calidam. Unde ſanos videas æſti-

vis menſibus vel ſerum lactis vel lympham potare, hyeme verò cereviſiam caldam, vel mulſam, vel Spiritum Vini. Ita & æger ſtomachus ſui per contraria curationem, etiam inexpertis prodit. Qvi valetudinis ſuæ curam habent, domi remedia habent, & ſitim caloremq; febrilem extingvunt ſero lactis, aqvis nympheæ, acetoſæ, acetoſellæ, fragorum, portulacæ, rubi Idæi, plantaginis, roſarum &c. & ut palato delicatiorum inſerviant, emulſiones conficiunt ex ſeminibus recentibus cucumeris, cucurbitæ &c. apud nos natis, & ut pueri etiam colore viniineſcantur, compertum habemus, ſemen acetoſellæ noſtræ in aqva coctum rubedine eleganti tingere potionem, ut pro vino rubro hauriri poſſit. De aëre idem eſto judicium, qvem ſibi qvisq; pro indigentia eligit, umbram meridie, ſolem verò Jove frigido, vel accenſum in tuguriis ignem. Qvicunq; compos mentis ſanæ eſt, non qværet extra patriam

qvæ

qvæ vel excalfaciant, vel refrigerent. Calore ſuo Sol noſter hyemis rigorem temperat, & ſi qvando imbecillior is ſit, ſylvæ noſtræ calorem in hypocauſtis vel camino vel furno abundantem accendunt, vel ceſpites bituminoſi,ubi parcior ſylvæ cæduæ proventus,horum vicem ſupplent. Si & hi deficiant apud pauperiores, ſtramina incenſa producuntur, qvod hyeme valdè inhumana apud ruricolas vidi factitatum. Adeò, ſi rigidior hyems populares ad ædes compellat & tuguria, qvod in ſeptentrionali plaga qvotidianum, majori parte totius anni homines ſeptentrionales perpetuum enutriunt ignem, ſicut verè teſtatur *Olaus Magnus* l. 12. c. 21. Accedunt veſtes pelliceæ, qvibus externum frigus depellimus. Pelles ſuas huc conferunt martes, lynces, cervi, capreoli, luxi, urſi, vulpes, caſtor, aliaq; animalia in ſylvis Daniæ & Norvegiæ habitantia, ut taceam domeſtica, oves, canes, feles, lutras, ſciuros &c.

Avium

Avium qvoq; plumis culcitræ noſtræ arciuntur. Nam præter plumas anerum, qvas ſemel tantum anno vellunt noſtri, ſecus atq; olim Romani gricolæ apud *Columellam* l. 8. R. R. c. 13. ſt nobis alia pluma nobilior & pretioor, qvam mercatores ex Islandia portant, ex feris anatibus, qvas Eider voant, mollisſimam, & qvæ nullo pondere culcitris incluſa, nos tegit pariter calefacit. Harum plumarum ingen- deſiderio exteri tenentur, ut etiam Magno *Salmaſio*, qvum nos Hafniæ veeris neceſſitudinis gratia reviſeret, liqvot libras mercatorias libenter ex neis conceſſerim. Neq; vanus nonullorum rumor nos terrere debet, pilepticos inſultus ex uſu harum plumarum timentium, qvod periculum ecdum ullus, qvod ſciam, incurrit, in noſtra familia nemo hactenus, wod Deo referimus in acceptum, morbum illum expertus eſt, qvanqvam qvotidiano uſu nobis ſint culci-

 træ

træ iſtis plumis Islandicis & Feroënſibus repletæ. Peregrinas has Anates plumis mollisſimis à Celeberrimo *Wormio* in Muſæo deſcriptas, ex Inſulis Feroënſibus vento propulſas, non ſemel piſcatores noſtri in mari prædium meum alluente reti piſcatorio ceperunt, interceptas ſine dubio qvando piſcium capturæ inhiant. Roſtrum acutius habent nonnihil qvam noſtræ. Caro mar... ſapit. Ruſtici lana pecorum culcitras ſuas farciunt, & commodè reqvieſcunt. Capitibus noſtris tegmina pellicea ad evitandum frigus imponimus, qvæ an ſanitati conducant, memini olim ... Magno noſtro *Olao Wormio* diſputa... tum. Certè iter urente frigore facien... tibus neceſſarium eſt hoc tegmen un... cum focali. Parari etiam ocreæ hi... ſolent ex pellibus Phocarum, prorſu... commodæ. De pellibus caninis atte... ſtatur *Jo. Rhodius*, Polyhiſtor noſte... Compos. Scribon. 161. qvod eximi... calore polleat animal, adeoq; pelle...

cale...

calefaciendis pedibus diſcutiendisq; tumoribus illorum œdematoſis valeant. Lupi pellis præ aliis calefacit, nec patitur pulices vel pediculos noſtrorũ experientiâ. Salubres qvoq; hyeme feruntur pelles martis, lupi, vulpis, ſed graſſante peſtilentiâ fugiendæ, ne illis lues adhæreat: Cervinæ verò æſtate utiliores, qvia Cervus vivax & venenis reſiſtit. Operimenta pectoris & ventriculi ex pluma cygni conficimus, qvòd & colico dolori & pectoris difficultati dicata credatur. Artubus qvibuscunq; affectis pellis cati domeſtici prodeſſe dicitur. Qvicqvid ſit, tot pellibus inſtructi, Siberiæ relinqvere poſſumus pretioſas ſobelini muris pelles, in qvibus etiam ſæpe decipimur, additô colore, & bene factum qvod jam inter magnates in pretio eſſe cœperit muſtela alba ſeu mus albus, noſtris Hermeliin/ & catus ſylveſtris, qvi freqventes apud nos & in Norvegia oberrant.

Majora nobis contra calores ſunt ſubſidia, qvos rari tam iniqvos experi-

mur aut diuturnos, ut corpora enervent. Hiſce tamen occurrimus perflatilium ædium commoditate, roſarum, nympheæ foliorum ſparſione, cibis frigidis, fructibus horariis, inprimis fragis ceraſisq;, potu ex ſucco fructuum, ſero lactis, lacticiniis variis, & cereviſia ſecundaria. Nivaria ſi deſint, qvæ tamen haberi poſſunt, putei profundi & ſubterranea loca deſiderio incolarum ſatisfaciunt, & Julepi ex violis noſtris & aqva fontana pro palato miſcentur ut de aqvis aliis refrigerantibus, roſarum, fragorum, cichorei, lactucæ, nympheæ &c. nihil dicam, qvas patrii ſoli & ignis beneficio habemus. Meſſores noſtri auxilium in culina capiunt. Preſſi lactis acidi copiam cereviſiæ ſecundariæ fruſtillatim miſcent & avidè pro ſiti vorant. Alii jucundius ſero ovillo caſeoſam ejusdem ſubſtantiam addunt. An inter ſalubria remedia iſta fercula numerari poſſint, non dixerim, qvanqvam his hominibus

fani

ſanis omnia ſint ſana. Id pro vero affirmare poſſum, ingentem febricitantium ſitim nulla re expugnari facilius & jucúndius qvam ſero lactis, qvo tuto utimur; palato enim id gratum & inflammatis viſceribus utile, etiam copiosè hauſtum. Decoctum hordei & acetoſæ parem laudem meretur. Fidem ſuperat ſuccus mororum Norvagicorum qvi pari cum ſucco Citri virtute ſitim exterget, ejusdemq; cauſam in ſcorbuticis noſtris corporibus extinguit. Qvibus ſi operas ſuas jungat nitrum, plus obtinebimus qvam ſperare à plurimis aliunde conqviſitis poſſimus. Neq; tamen facilè, niſi robuſtioribus, conceſſerim nivem multam, unde in æſtuoſis febribus medela olim petebatur, teſte *Conſtantino* l. 8. Geopon. c. 27. qvanqvam nullo negotio nivem noſtram cum melle committimus. Qvi verò robur ventriculi prætendunt, id potionis genus in uſum trahunt, frigus enim nivium, modera-

 tus

tus mellis calor temperat, & hujus exceſſum, illud emendat.

Nihil igitur ad victum ægrorum deſideramus. At major de Pharmacis difficultas, qvæ ad morborum propulſionem Medici præſcribunt, qvum ita invaluerint apud pleroſq; externa medicamenta, ſeu peregrina, ut vix alia in officinis Pharmaceuticis invenias. Nullus tamen defectus eſt in Pharmacia domeſtica niſi medicamentorum purgantium, qvorum inopiâ videmur laborare, qvia neglleximus, nec experientiâ inqviſivimus, peregrinis hactenus occœcati. Sed ſciendum in domeſticæ noſtræ medicinæ defenſionem: I. Purgantia medicamenta vim naturæ inferre, adeoq; venenis proxima, non ſine nauſea ab ægris aſſumi. II. Electivè purgantia authoritatem ſuam antiqvitate magis tueri, qvam veritate. Creditur enim magnis & emunctæ naris Viris electio iſta falſa, qvum irritent tantum, & irritata natura expellat

at qvemcunq; humorem noxium. Ita
Rhabarbarum pari effectu purgat ſe-
um ac Jalappa, hæc bilem æqvè ac il-
ud, Folia Senæ utrumq;, & ſingula ho-
um omnes humores expellunt ſi in
rocinctu ſint vel moveri poſſint. III.
Morbos Boreales, qvia bilioſi non
unt, ſed pleriq; ſeroſi ab obſtructione
ororum ſæpe nati, vel Scorbutica
olluvie, non tam electivè purgantia
eqvirere, qvam ſudorifera, vel hydra-
goga, vel urinam cientia, vel alexi-
pharmaca. IV. Fortia purgantia nos
non ferre, ſed, ſi qvid hypochondriis
obſtructis tentandum, per ἐπίκαιρον ſa-
ius eſſe, vel enematis ſollicitare inte-
tina ad expulſionem. V. Mitiora il-
a, ad qvæ natura noſtra non exhorret,
etiam rectè inveſtigantibus, abundè
domi ſuppetere, ut extranea inſuper
habere poſſimus. Pleraq; certè, *Celſo*
l. 2. c. 29. notata, nobis ſunt domeſti-
ca, ſi mora, ficus, uvas pingves, vinum
dulce & ſalſum excipiamus, qvæ in

 hortis

hortis noſtris qvidem proveniunt, ſed aliunde translata. Reliqva, qvorum catalogum pro alvo movenda ibidem texit, nobis inqvilina ſunt, panis fermentatus, braſſica, lactuca, anethum, naſturtium, ocimum, urtica, portulaca, radicula, allium, cepa, malva, lapathum, beta, aſparagus, cucurbita, ceraſa, poma mitia, minutæ aves, cochleæ, ſalſamentum, oſtrea, echini, muſculi & omnes ferè conchulæ, maximeq; jus earum, qvarum tamen nullus apud nos eſt uſus, ſaxatiles & omnes teneri piſces, caro pingvis, aves qvæ natant, mel crudum, lac, lactentia omnia, mulſa, aqva, omnia tenera, tepida, dulcia, pingvia, elixa, jurulenta, ſalſa, diluta. Hiſce adnumerare poſſumus fumariam, polypodium, coluteam, ſambucum, ſerum lactis, aqvam fl. ceraſorum, roſas pallidas, pruna, rhamnum ſolutivum, medium corticem Berberis arboris, & alia qvæ alvum laxant. Lotium verò cient, iris

noſtra,

noſtra, aſparagus, caprifolium, fraga, petroſelinum, ſem. fraxini, ebulus, hedera terreſtris, rad. olznicii, aq. Veronicæ &c. Sudorem provocant, Sambucus, Cornu Cervi, Unicornu noſtrum, oculi cancrorum, ſem. fraxini, aq. Linariæ, cuſcutæ, ſal abſinthii &c. ne plura afferam in libris paſſim occurrentia. Ad enema qvotidianum aqva marina, vel lac, vel jus carnium, vel decoctum herbarum inqvilinarum, meliloti, chamomeli, malvæ, violarum, parietariæ &c. ſufficiet, & externa, qvæ magis placent, umbilico, inprimis ex felle bubulo cum adipe ſuis, confici poſſunt. Nimis dura eſſet conditio noſtra, ſi ex India repetenda forent remedia, qvotiescunq; vel alvum deponere, vel mingere vellemus. VI. Magnam laudem enematis deberi, ſi noſtris hominibus perſvaderi illorum uſus qvotidianus poſſet, ut vicarias operas purgantium præſtent. Facilè materiam in inteſtinis hærentem, facta

 deob-

deobſtructione educunt, nec corpus turbant, nec debilitant. Materiæ decoqvendæ non deſunt, jam allatæ, qvibus hordei decoctum adjiciendum, vel mulſa noſtra, vel alia pro varia indicatione utilia & neceſſaria. Nec inſtrumentis deſtituimur. Veſicæ ſuillæ vel bubulæ fortiores in promptu ſint. Syringa conficiatur ex ligno, vel oſſibus Balenarum, qvorum ingens apud nos copia, vel unicornu Grónlandico, ex qvo varia vaſcula tornantur, ne ex Africa Ebur afferre cogamur. Qvod ſi artifex ſeu tornio deſit in villa, nec veſicæ animalium ſtatim ad manum ſint, extemporaneum inſtrumentum nuper ſubſtituit domeſtica noſtra puella. Qvum enim in prædio meo ægrotaret filiola, & clyſteris uſus exigeretur, deficiente tum & veſica & fiſtula, optimè penna anſerina, & crumena, qvæ forte haberi poterant, negotium expedivit. Nam ingenio nunqvam parabilis deerit medicina, in qvocunqve

terra-

ꝛrrarum angulo fuerit: VII. Nullis
urgantibus opus eſſe, ſi ſobrie viva-
nus, & ſpreto externo luxu ſecundum
aturæ leges, patrio alimento & vi-
endi genere contenti ſimus. Inglu-
ies enim illa, qva multi fatigantur,
nerat ſtomachum, & copiam excre-
nentorum cumulat, qvæ per purgan-
a deinde educi debent. Deinde pe-
egrinus luxus, peregrina fercula, pe-
egrina aromata, majoribus noſtris,
elici illi ſeculo, ignota, accendunt in
orpore noſtro ignes; naturamqve no-
tram invertunt, ut qvia peregrino vi-
tui inhiamus, etiam peregrina medi-
amenta debeamus advocare. At ſi
oſtris patriæ bonis, agricolarum mo-
e, ſapienter & moderatè frueremur,
tiam cum agricolis integra eſſemus
aletudine, nec alienis medicamentis
& validè purgantibus alienam in cor-
ore colluviem expurgare cogeremur.
Pœnæ loco nobis alienarum medicina-
um imponitur neceſſitas, qvia viven-
di mos,

di mos, qvo canos meruerunt majores noſtri, neſcio qvo morum domeſticorum faſtidio exolevit. Novi virum annos penè nonaginta ſuperantem, ruſtico victu, ſine medicamentorum ope vegetum, morbosq; ignorantem, nunqvam vini, rarò cereviſiæ, ſemper aqvæ vel ſeri potorem. Non irritant hi hortuli domeſtici famem, ſed extingvunt: nec majorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali & gratuito remedio ſedant. In hac voluptate conſenuit, de qvo olim Stoicus gloriabatur *Epiſt.* 21. VIII. Qvi verò à recta vivendi norma deflectunt, ut vehementius alvus commoveri debeat, in campis noſtris decerpere poſſe, qvæ exoticis ſubſtituantur. Neq; enim tam manca eſt apud nos Floræ benignitas, qvin & hoc paſſu medicinæ domeſticæ perfectionem promoveat. Pro Rhabarbaro eligamus vel Rhabarbarum Monachorum, vel lapatum acutum, vel jus braſſicæ. Pro Jalappa, ſuc-

ſuccum iridis noſtratis, hydragogum excellens, vel ſem. ebuli vel ſambuci. Pro Scammonio Tithymallum, pro Turbith phlegmagogũ, Radices Eſulæ, maceratas in aceto & ſiccatas. Pro foliis Senæ Alexandrinæ, polygonati ſemen, vel radices bryoniæ, vel epithymum, vel ſurculos novellos ſambuci, vel ejusdem medium corticem, vel decoctum lichenis, qvanqvam ſola ſena ſervari ex peregrinis poſſet, qvod probat *Bumaldus* Bononienſis, qvia copioſius advehitur viliori pretio, & præſtantiſſimum eſt medicamentum. Sed ſolius ſenæ gratia navigationem nemo in Orientem ſuſciperet, vitæq; & fortunarum periculo ſe exponeret, niſi majoris lucri ſpe. Ita qvum mercatores noſtri non ita pridem expeditionem navalem in Grǿnlandiam ſuſcepiſſent, nec præter Unicornu & paucu-los piſces, qvidqvam advexiſſent, magna impenſarum jactura, à navigatione illa deinde ceſſarunt. Panchymago-

magogum præſtans ad bilem, pituitam & ſerum expurgandum ſpondent folia ebuli in oleribus ſumpta, ne Anticyras navigare cogamur. Pari laude commendantur ſuccus iridis noſtratis cum melle & lacte caprino mixtus, ut & aqva cort. ſambuci. Frangulæ corticis decoctum, cum corrigentibus ſeminibus, ſurſum deorſumq; validè ex ventriculo eliminat omnium generum excrementa congeſta. Deniq;, ne longior ſim, ſi ventriculus ſubinde præter morem modumq; oneretur, vomitu expurgari poteſt, & anſa præcidi futurorum morborum. Ad hunc autem provocandum, pauca ſufficiunt, aqva tepida cum butyro, vel penna anſerina faucibus indita. Imò ea eſt prudentia naturali ventriculus, ut nimio potu gravatus ipſum ſe exoneret. Unde bibones nonnulli defendunt, licere ſanitatis gratia ſemel in menſe liberalius indulgere genio Cereriq;, ut per vomitum expurgentur. Sed error eſt

vul-

vulgi in ebrietatis nefandæ patrocinium. Præſtat potandi morem abolere, ne ventriculus oneretur, ſicq; fœdi vomitus neceſſitas tollatur. In morbis qvi per ſuperius guttur eliminandus humor, ſupererunt & alia huic ſcopo idonea. Aqva mulſa calida invitat vomitiones leves, cortices rad. jugland. & medianus ejusdem; rad. narciſſi lutei, betonicæ, ſem. atriplicis, juſcula pingvia, aqva hordei cum oxymelle ſimplici & ſyrupo acetoſo. Augent conatum ſummitates ſambuci, radices juglandis, ſuccus raphani, urtica in mulſa vel ſero cocta. Si uſus fortiora exigat, ex medici periti naturamq; incolarum æſtimantis arbitrio, ſuccus illecebræ, geniſtæ flores in mulſa, (ſed ne ventriculo noceant, additis ex conſilio *Sim. Paulli* in Flora Danica, floribus roſarum,) & ebuli, radix bryoniæ, raſura ungvis aliaq; ſuppetunt. Itaqve purgantium medicamentorum inopia tanta non laboramus, qvam vulgo cre-

creditum, ut ſi nobis Rhabarbarum ſuum, Senam, Colocynthida, invideat oriens, ſolo ſambuco, aliis deficientibus, ægrorum commodis inſervire qveamus. Non ſumus ex illorum numero, de qvibus *Galenus* conqveritur l. 10. ſimpl. fac. qvi ubi totam vitam degunt privati, atq; ejusmodi poteſtatis medicamentorum expertes ad ea ſcribenda accedunt, qviq; aut ſi experti non ſunt, ea conſcribunt qvæ ipſi ignorant, aut ſi experti ſunt, hominum omnium ſunt impiiſſimi, qvi experiundi gratia hominibus innoxiis pernicioſa medicamenta exhibent: Enimverò non parvam ætatis partem inter hæc experimenta conſumpſi, & qvorum virtutes qvotidiè explorare non potui, aliorum in Re Medica experientia confirmatus, ea uſibus noſtris ita accommodavi ut ſemper temperamenti Borealium rationem haberem. De alterantibus aliis & appropriatis nemo dubitat, eam nobis

nobis copiam eſſe cuicunq; morbo neceſſariam, ut peregrinas herbas ad ſuos relegare poſſimus, ne iis advehendis tanto opere tantisq́; impenſis deſudemus. Verè enim ad Cæſarem *Salluſtius*: perinde omnes res laudantur, atq; appetuntur, ut earum rerum uſus eſt. At majorem inqvilinis herbis noſtris ad medendum eſſe uſum, facili negotio probavero, qvum in exoticis, ut ille de inertiſſimis loqvitur, ſicut in ſtatua, præter nomen nihil ſæpe ſit additamenti. Recentes noſtræ decerpi poſſunt & adhiberi, viliori precio, imò gratis proſtant, nobiſcum qvaſi natæ familiari cœlo & ſolo. Adhæc morbis noſtris endemiis reſpondent, qvibus peregrina medicamenta fruſtra opponuntur, parumq; abeſt qvin credam omnes herbas inqvilinas aliqvam vim ſcorbuto adverſam poſſidere. Fateor peregrinos morbos peregrinatione incolarum vel militum conſcriptorum culpa introductos pere-

 grina

grina qvoq; remedia poſtulare, qvalia ex ligno Guajaco parantur: Sed Mercurius in iſtis præſtantior, qvem ex fodinis Norvegicis copioſè habemus. Et ligni Guajacini ſuccedaneum ex Fraxino noſtro petimus, cujus raſuræ decoctum in luis Venereæ curatione guajaco feliciter ſubſtituit *A. Cæſalpinus*. Semina ejusdem fraxini matura guſtu acri, qvalis cariophyllorum, peſti adverſa, ſudorem eliciunt. Alii Saponariam, carduum Benedictum, Veronicam pro hac lue commendant. Et qvanqvam hac parte inopes eſſemus, nulla inde Danicæ medicinæ imperfectio arguenda, qvæ ſuis morbis, haud adventitiis, ſufficiens eſt, herbasq; inqvilinas pro ſuorum neceſſitate peregrinis præfert. Similes hæ ſunt noſtro cœlo & corpori, ut majora commoda promittant, qvam diſſimiles alio ſub ſole natæ. Hinc forſan infelices vel fruſtranei ſæpe Medicorum ſuſcepti labores, qvi ex Pharmacopoliis pere-

eregrina remedia præſcribunt, eaq; el obſoleta, vel ægrorum temperaento minus convenientia. Qvod ſi, k ſententia *Scribonii* in Peroratione, adem medicamenta in iisdem vitiis iterim melius deteriusve reſpondent, propter corporum varietatem, fferentiamq; ætatum, temporum, aut corum: qvid dicendum de peregris medicamentis, qvæ diverſis & vitiis corporibus & locis adhibentur. iſſident toto cœlo morbi noſtri à orbis populorum Orientalium, dierſa eſt corporum temperies, aliud orſus clima, ut felicem ſucceſſum ex edicamentis alibi natis ſperare apud os non poſſimus. Propria, domi ata & adulta optatiori eventu noſtris fectionibus oppugnandis ſeliguntur. olendum ſanè majorem nobis calcerum eſſe curam, qvam ſanitatis. Illos k India nemo ſibi curat afferri, ſed à cino Sutore ad menſuram pedis ſibi visq; confici patitur. Nec corium

Indorum nobis ſatis convenit. Qvia ibi ſolum ferventius, corio qvoq; tenui utuntur, nos in frigida & lutoſa plaga, firmioribus craſſioribusq; ex corio noſtro calceis indigemus. In muſæo calceos Indorum ligneos habeo una ſolea ſola conſtantes, qvos nudis pedibus in calido ſolo ſubſternunt. Noſtrorum ruſticorum calcei lignei univerſum pedem ambiunt, qvia & frigori & lutoſæ viæ inſerviunt. Ita qvoq; & materiam & formam medicamentorum diverſam nos poſtulamus, qvi Boream frigidum inhabitamus. Græci qvoq; & Romani, à qvibus pleraq; remedia dimanarunt, & vivendi ratione, & temperamento, & morbis à nobis differunt, ut ipſe medicinæ conditor *Hippocrates*, ſi ſuperſtes eſſet, nos ex inſula ſua Coo exeſſe juberet, ſi antiſcorbutica noſtra medicamenta, à natura incolarum & morborum in Coo graſſantium prorſus aliena, inveheremus. Ejus-

dem

Idem *Hippocratis* eſt conſilium l. de Aer. Loc & Aq. Si qvis ad urbem ſibi ignotam pervenerit, ejus ſitus curam habere debere, ut cognoſcat qvomodo ad ventos aut Solis exortum ſit poſita; neqve enim easdem vires habere, qvæ ad Septentrionem, & qvæ ad Auſtrum ſita eſt, ut neq; ejus qvæ ad exorientem Solem aut occidentem ſpectat. Jubet ibidem animo concipere, qvo modo ad aqvas habeant incolæ, num paluſtribus & mollibus utantur, an duris, & ex ſublimi ac ſaxoſis locis ſcaturientibus, ſive ſalſis ac coctu difficilibus: terram etiam inſpiciendam, nudane ſit & aqvis careat, an denſa & irrigua, & an cavo loco ſit ſita & æſtuoſo, an verò ſublimi & frigido. Inſpiciendam præterea victus rationem, qvânam maximè delectentur, an potui & cibis, & otio dediti, an exercitationibus & laboribus gaudeant, & an edaces ſint, & à potu ſibi temperent. Hæc enim præcipue qvi-

dem omnia, aut certe plurima probe: qvi agnoverit, cum ad urbem ſibi ignotam pervenerit, eum neq; morbos regioni familiares, neqve communium qvæ ſit natura latere poſſe, ut neq; in eorum curatione hæſitare aut aberrare poſſit. Tantam cautionem in urbis unius diſcernendo ſtatu qvum præcipiat *Cous*, qvid de regione dicemus, tanta viarum longitudine ab illis remota diverſisq; morbis & moribus, à qvibus & artem & remedia mutuamur? Hinc, qvia remedia peregrina repudiamus, ſcrupulus oritur, an vel legendi aliarum gentium Medici, vel Hippocratis Galeniqve methodus medendi inter nos ſervari debeat. Cæterum non id agimus, ut domeſticæ medicinæ commendatione, aliorum laudibus vel tantillum obteramus. In pretio enim habendi ſunt omnes qvi vel ore vel ſcripto vel opere aliqvid ad ſalutem mortalium contulerunt. In primis Græci, non ob mores laudandi,

di, ſed qvod medicinam aliqvanto magis qvam cæteræ nationes excoluerint. Virtus enim, vigilantia, labos, apud Græcos, ut ille loqvitur, nulla ſunt. Hinc qvia deſidia atq; luxuria, ut *Celſus* ait l. 1. prius in Græcia corpora, deinde apud Romanos afflixerunt, ideò multiplex medicina, apud alios gentes minus olim neceſſaria, vix aliqvot ex Romanis ad ſenectutis principia perduxit. Ex malis tamen hiſce moribus morbisq; Græcorum, natæ bonæ leges medicinæ, & varios herbarum virtutes experientia detexit, vel probavit, qvas illis debemus, & noſtro commodo addiſcimus. Duo igitur ex Medicorum antiqvorum, qvi omnino legendi, ſcientia haurimus, ſubtilem nempe medicinæ rationem, qvam exteræ gentes olim non noverant, & remediorum certitudinem. Opus tamen hic diſtinctione. Nam alii morbi nobis cum aliis ſunt communes, ut Hydrops, Tabes, Nephritis, Apoplexia &c.

alii proprii nobis ſunt & Endemii, qvo numero eſt Scorbutus. Præterea qvanqvam illi communes ſint, in noſtris tamen corporibus, Scorbuto vitiatis, propriam qvalitatem induunt, & ferè proprii fiunt, qvia Scorbuto ſociantur vel miſcentur. Hinc herbas longo uſu apud veteres decantatas amplectimur, ſed noſtris morbis ex ratione accommodamus, qvam methodus medendi nos docet, & eos qvidem non aliunde qvam ex campis ſylvisq; noſtris depromptas, noſtrasq; inqvilinas addimus ſcorbuto, inqvilino hoſti, adverſas, ſine qvibus fruſtra in curatione morborum noſtrorum erimus. Summa: artem medendi veterum ſervamus religioſè, ſed propriis utimur remediis. Unde parum proficiunt Medici Dani ſolius medicinæ diſcendæ gratia, longas peregrinationes ſuſcepturi. Reduces enim, ſi vulgo mederi velint, aliam in curandis noſtris ægris inire debent rationem, qvia alia corpora,

ora, ſub alio cœlo, aliis remediis,
ios morbos curandos ſuſcipiunt.
ippocrates in lege, Medico futuro pe-
grinationem nullam præſcribit, mo-
o naturam nactus ſit, doctrinam, lo-
m ſtudiis aptum, inſtitutionem à
iero, induſtriam & tempus, qvorum
nnium compos facilius in patria e-
adet Medicus noſter. Non ſine pru-
enti ratione *Hippocrates* ad Perſas ire
oluit vocantiq; Artaxerxi parere,
vippe peſtis ſanandæ modum in Græ-
a callebat, non æqvè extra patriam
elatus, unde ne ſe proſtitueret, bar-
aros Perſas, Græcorum hoſtes cauſa-
atur. *Galeno* verò qvod ex patria Ro-
am commigraverit vitio verti non
ebet, qvippe hic fortunæ ſuæ ſtatio-
em meditabatur, cujus imperio cum
niverſo orbe etiam Aſia parebat. Sce-
ton qvoq; peregrinationem impera-
t, qvo tum Roma carebat. Noſtro
culo nec Italos, nec Gallos, nec Hi-
anos Medicos, alienos viſere ſoles

videmus ſtudii Medici diſcendi gratia, niſi rariſſimè aliò alia de cauſa transferantur, ſiqvidem domi habeant, qvæ pro ægris ſuis meditentur, propriisq; herbis & remediis patriæ ſuæ morbos depellant. Nobis eadem domi ſubmininiſtratur diſcendi occaſio, &, ſi peregrinari luberet, in ipſa hac patria ſollicita cura inqvireremus herbas inqvilinas & numero plures & virtute præſtantes, & paſſim de ſingulis incolarum obſervationes conqvireremus, à qvibus diſcere neminem pudere debet. Ita de Mithridate *Plinius* l. 25. c. 2. in reliqva ingenii magnitudine Medicinæ peculiariter fuiſſe curioſum, & ab hominibus ſubjectis, qvi fuere pars magna terrarum, ſingula exqvirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria, effectusq; in arcanis ſuis reliqvit. Nolim tamen generoſum meliorum ingeniorum exteros ſoles viſendi deſiderium damnare, unde magna medicæ ſcientiæ acceſſio ſperanda, ali-

liqvando ex uſu futura. Qvia pere-
rini morbi ſæpe inter noſtros irre-
entes, curam qvoq; noſtrorum Me-
icorum ad ſe vocant, qvi ritè officio
uo defungi non poſſunt, niſi ſimilium
orborum apud exteros viderint ſi-
na & remedia. Serpit lues Venerea,
tiam tacita ſubinde infectione, qvæ
elicius à Medico noſtrate, qvam pere-
rino curatur: qvia gravior eſt ea lues
n corporibus ſcorbuto laborantibus,
in cœlo noſtro frigidiori, qvod cor-
ora denſat, & venenum intus com-
ellit. Præterea peregrinos multos
atria qvotidie excipit & amice fovet,
vorum ſanitas facilius procedet, ſi in
eritos peregrinorum morum & tem-
eramentorum inciderit. Hinc plures
eregrini in patria noſtra à noſtris Me-
icis, qvi ad unum omnes cum Ulyſſe
ultorum urbes viderunt & mores,
b orci faucibus revocantur, qvam
on pauci ex noſtris civibus in Gallia,
alia & Hiſpania ante diem occum-
bant,

bant, qvia ignotus illarum terrarum Medicis, cætera medicinæ gloriæ illuſtribus, ſcorbutus, cujus cum varia viderint ſymptomata, niſi à noſtratibus ſint edocti, qvid monſtri alat morbus, prorſus ignorant, meminiq́; non ſemel Gallos Italosq; Medicos nonnullos hic hæſitaſſe, & dubia conjectura nihil concludere pro ægrorum ſalute potuiſſe. Finem peregrinationis ſuæ qvoq; aſſeqvuntur Medici, Magnatum ſanitati præficiendi, & delicatiorum, qvi vel exterorum deliciis aſſveti vel variis medicamentorum generibus & pretioſis curari amant. Sæpe qvoq́; menſis Principum accumbentes, ne ſolo medicinæ diſcurſu faſtidium concitent, variis ſermonibus dignos ſe hoſpites præbere debent. Hinc qvi præter domeſtica nihil norunt, ſæpe inviſi ſunt Principibus, qvi triſtia qvoq; averſantur, de qvibus ſermo cum Medicis incidit, ut adeò Doctiſſimus qvidam Politicus Medicos à conviviis amovendos publi-

publicè ſcripſerit, contra qvem in Diputatione Inaugurali Baſileenſi ſeriò egi pro vindicanda Medicorum dignitate. Facit deniq; ad Medicæ artis ſplendorem, magiſtros eſſe varia rerum variarum & plurimarū gentium notitia inſtructos. Hoc encomio ſuperbire poſſunt Medici Dani omnes, qvorum catalogum alibi conſignavi, qvi id aſſeqvuntur, ut ex variis alibi obſervatis, medicamentisq; peregrinis perſpectis, de noſtris ægrotis remediisq; judicium felicius facere qveant, & ſervatis ſervandis in uſum noſtrum convertere, ſi vel dubii caſus ſe obtulerint, vel implicati noviq; morbi oriantur. Multa tamen in peregrinatione diſcimus & obſervamus, qvæ ſi ægris noſtris applicentur, & noſtram famam & ægrorum ſalutem proſtituunt. Ut adeò artem longo medentium uſu approbatam tenere debeamus, ſed qvam raro exercere apud vulgus noſtrum liceat, qvia & inobedientes noſtri ſunt, & tum demum

mum Medicum vocant, qvum mala per longas invaluere moras, ubi ſolis ſpecificis & alexipharmacis pugnandum, neglectis qvæ ex ratione erant peragenda. Inaſſvetis multa tum concedenda, ne ſuccumbant vires, neve Medici ſævitiâ deterreantur qvi ſpem convaleſcentiæ reliqvere. Nihil enim, *Seneca* authore Contr. 5. l. 4. magis ægris prodeſt, qvam ab eo curari, à qvo volunt. Temerariis remediis graves morbos vulgus noſtrum ſubinde curat, qvibus ita velificandum, qvia multa in præcipiti fiunt, judice *Celſo* l. 3. cap. 18. aliàs omittenda, ut fortuna ægrorum noſtrorum huc illucve decreverit, ſicq; de ſe opinionem concitet Medicus, malle ſe ægros ſervare, qvam artem mordicus ſeqvi. Neq; enim ad Italorum Gallorumq; rigorem exigi noſtra corpora poſſunt. Largas qvippe venæ ſectiones non ferunt, qvia cacochymia diſſvadet, nec purgationes validas, qvia ſcorbutici opinione citius

exſol-

ſolvuntur, nec Chirurgicas Operaones patienter tolerant qvi naturæ bore confidunt. Arduas illas loqvor difficiles. Nam qvævis levia vulnera vivis ruſticus obligat & obligari ſibi titur, de qvibus explicandus *Olaus agnus*, qvi l. 16. cap. 51. teſtatur freentiſſimos eſſe Chirurgicos in ters ſeptentrionalibus, eò qvod gens a vix diem vel horam ſine conctu præterire ſinit. De gravibus pertus loqvor. Qvum enim ante os 20. annos patriam poſt decennale er repetiiſſem, forteq; oblatus eſſet ger cui os frontis fractum baculo fero meningibus incumbere videbar, cerebro palpitante, metu mali furi terebram ſvadebam. At communicato conſilio cum Avo materno *D. homa Finchio*, Medico veterano, auor fuit ut naturæ negotium committeretur, aliam enim eſſe in Dania, iam in Italia curandorum vulnerum tionem. Parui monenti Seni experto, &

to, & Cerato de Bethonica vulnere procurato, oſſibus ſua ſponte ſeparatis, æger convaluit. Diverſum qvippe cum ſit cœlum noſtrum, aliusqve victus, & aliud temperamentum, alia deniq; medicamenta qvæ patrium ſolum ſubminiſtrat, mirum eſſe nemini debet, ſi varianda in noſtris hominibus ſit medendi ratio, ſemperq; cæteris remediis admiſcenda, qvæ contra Scorbutum pugnant. Et qvia pleriq; naturali qvadam averſione formidant medicamenta ex Pharmacopoliis petita, extranea, amara, pretio tædioſa, nos domeſticas herbas aliaq; inqvilina remedia, vulgo etiam cognita, eligere convenit, de qvibus tamen cum *Plinio* effari licet l. 25. cap. 2. nihil non herbarum noſtrarum vi effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe incognitas.

TH.

TH. BARTHOLINI
De
Morborum Daniæ Popularium Remediis inqvilinis,

DISSERTATIO QVARTA.

MOrbos Aqvilonarium peculiares enumeraturus *Olaus Magnus* l. 16. c. 51. Tuſſem nominat, calculum, dentium oculorumq; dolorem, tormina inteſtinorum, febrem, pituitam, ſcabiem, gallicum morbum, puerorum morbillos, peſtem & Cachexiam ſeu ſcorbutum. Confuſione iſta veniam meretur, qvod ſe Medicum non fuerit profeſſus. Neq; iſti Aqvilonaribus peculiares ſunt, ſed aliis communes, ſi ſcorbutum excipiamus. Imò lues Venerea peregrinus illis regionibus eſt

affectus, magisq; Romæ notus, ubi Hiſtoriam ſuam conſcripſit, qvam Upſaliæ, ubi Archiepiſcopi titulo florebat. Cæteri morbi, inter qvos pituita catarrhum notat, qvanqvam Borealibus proprii non ſint, meliori ordine erant digerendi. Morbos igitur qvibus in Septentrione affligimur, ad duo genera refero, Scorbutum & Febrem. Scorbutus endemius eſt, febris ſporadica vel Epidemica, eaq; peſte nonnunqvam ſociata. Scorbutus maris Balthici accolis ferè inqvilinus, Febris nobis cum aliis eſt communis. Uterq; tamen affectus inqvilinis remediis cedit plerunq; & expugnatur. Scorbutus qvam notus civibus noſtris, tam ignotus antiqvis & aliarum terrarum incolis. Antiqvitatis qvidem veſtigia qvædam nonnulli legunt, ut olim etiam cognitum morbum probent. *Hippocratem* in conſenſum vocant, qvi l. 2. Prædict. rem acu videtur tetigiſſe: Qvibus, inqvit, lienes magni, iis gingivæ vitiantur

ur & os graveolet. Qvibus autem
lienes magni ſunt, neq; ſangvinis eru-
ptiones contingunt, neq; os graveolet,
in tibiis ii mala ulcera habent & ni-
gras cicatrices. Sed ſymptomata qvæ
afferuntur, ſcorbuti non ſunt, ſed lie-
noſorum ſucco atro ſcatentium, in
qvibus humor ſi adſcendat, vel ſangvi-
nis vomitus excitat, qvorum exempla
non pauca vidi, vel oris graveolen-
tiam: at ſi inferiora petat, ulcera ma-
gna in tibiis oriuntur, ægrè curabilia,
magnis cicatricibus relictis. In ſcor-
buto rariſſimè ad ulcera pervenitur,
ſed maculis lividis vel nigricantibus
femur & pedes defædantur, niſi ſcabies
ſeqvatur, qvam vidi ſubſeqvutam in
ſcorbuticis poſt macularum exortum.
Non credo cœlum *Hippocratis* agno-
viſſe ſcorbutum. Diverſos verò illi
fuiſſe affectus, qvos Lienes magnos vo-
cat, liqvet ex l. 2. Epid. ſ. 2. Et qvan-
qvam ſimilia nonnunqvam videre po-
tuerit accidentia, ignoravit tamen ori-

 ginem,

ginem, nec ullam curationem poſteritati reliqvit. Verius indicium præbet *Plinius* l. 25. cap. 3. qvi morbi meminit trans Rhenum prope caſtra à Germanico Cæſare poſita ab aqva fontis cujusdam pota contracti, qvem Stomacacen Medici Caſtrenſes vocabant & Sceletyrben. Prope enim Friſios, qvi etiam hodie hoc morbi genere infeſtantur, caſtra fuere. Sed alium fuiſſe morbum, ſuſpicionem ingerit fons aqvæ dulcis ſolus, qva pota intra biennium dentes deciderunt, compagesq; in genibus ſolvebantur, ut & ejusdem per herbam Britannicam curatio; qvæ qvid fuerit ignoratur. Potuit tamen iſte affectus ſimilia habere Symptomata nonnulla, ſicut & apoſtemata Lienis, de qvibus *Aben Sina.* At priſcis in cœlo calido, & victu calido innotuiſſe, perſvadere mihi vix poſſum, ſiqvidem ſicut illis ſui ſunt morbi, ita & Borealibus, qvemadmodum & Indis calidioribus ſui. Suſpicionem meam confir-

firmat, qvod natura, provida rerum, illis denegaverit remedia expugnando morbo noſtro idonea, qvæ in Septentrione abundè ſuggeſſit. Hinc etiam apud Italos Galloſq; incognitus fere adhuc eſt Scorbutus, niſi in qvibusdam locis maritimis Galliæ Narbonenſis, & prope Arelatum, ob ſalſas aqvas & paludoſas; & circa Rhaguſam Italiæ, ſimilibus aqvis obnoxiam, ubi nonnunqvam ſcorbutus viſus, ſed à domeſticis Medicis curari non poteſt, qvi de iſta affectione non cogitant. Eſt igitur endemius morbus Septentrionis, vitio cœli, maris, & victus contractus, & ad hæredes transmiſſus. Ad Islandos noſtros mali hujus commercium qvoq; ſpectat, unde, qvia ſymptomata qvædam cum lue Venerea convenire videntur, *Dithmarus Blefkenius* in Island. Deſcript. ſive odio gentis, ſive ignorantia rerum, luem Veneream ibidem graſſari, minus verè ſcribit.

Cauſam verò & Accidentia, qvibus nos oppugnat, ad partes vocare, ſupervacui laboris exiſtimo, qvia eruditè hoc argumentum tractarunt *Wierus*, *Ronſſeus*, *Eugalenus*, *Reusnerus*, *Sennertus*, alii numero plures, ut Iliada poſt tot Homeros ſcribere non debeam. Obſervavi non ex æqvo omnibus Boream incolentibus morbum eſſe infenſum, non ruſticis, labore aſſvetis, ſed urbanis, ſedentariæ vitæ candidatis, præſertim feminis, iisq; corpulentioribus, qvia & qviete corrumpuntur humores, & tenui cereviſia aqvæ copiam colligunt. Eſt enim, qvantum intelligo, ſcorbutus frigidorum tenuiorumq; humorum effectus, ſive à viſceribus refrigeratis torpidis, ſive à qvacunq; cauſa externa collectorum; ſicut febris à calidorum humorum viſcerumq; origine repetenda. Hinc ſcorbutum ea ſeqvuntur accidentia, qvæ ſeri vitia produnt, & comitantur morbi ab eadem humiditate vitioſa dependentes. Accidentia præ-

ræcipua ſunt, torpor & laſſitudo to-
us ab aqva gravante, dentium & ar-
um dolor ab acri ſero vellicante,
aculæ lividæ variæ magnitudinis, à
roſo ſangvine per capillaria vaſa ſe
fundente. Unde ſangvis ſcorbutico-
m putridus, ſero diffluens, & curatio
rficitur partim ſerum expurganti-
us, partim fluxum humorum calore
acrimonia liqvidorum temperanti-
us & calefacientibus, de qvibus mox
cturi amplius ſumus ex noſtrorum
colarum conſvetudine. Conjuncti
orbi, qvi à ſcorbuto dependere vi-
entur, qvia rarò apud nos ſeparantur,
nt, Paralyſis ſcorbutica, à ſero ſcor-
utico nervos irrorante, Hydrops
orbuticus ab eodem ſero ventres
undante, Arthritis ſcorbutica ab eo-
em articulos occupante, & ſic de cæ-
ris.

In Curatione populari, cochlea-
a, naſturtium, trifolium aqvaticum,
phanus ruſticorum, becabunga &

morus Norwegica principem locum & laudem obtinent, ex qvibus variæ medicamentorum formulæ conficiuntur tam in pharmacopoliis qvam à vulgo. Qvomodo verò ex arte iſtis percurari debeat Scorbutus, in Conſilio Facultas Medica Hafnienſis vulgari idiomate perſeqvuta eſt, qvod latina conſvetudine dedimus in *Ciſta Medica* Locul. 48. Monendum tamen hic, qvia medicinam domeſticam urgemus, peregrinis illa ſubſtituenda eſſe qvæ nobis in promptu eſſe poſſunt. Verbi gratia ex Aqva ſcorbutica eliminanda, cortices rad. capparum, grana paradiſi, cardamomum, & vinum. Loco hujus infundantur ſpecies in ſero lactis ſi ſtomachus valentior, ſin debilior, in cereviſia benè cocta, defæcata & lupulata. Qvæ verò pro peregrinis reponi debeant, in *Pharmocopœa Danica* docebimus. In Syrupo ſcorbutico, qvanqvam dulcia non valdè hic commendarim, præferamq; infuſa vel decocta, loco ſaccha-

acchari, qvo carere poſſumus, mel ptimè depuratum aſſumatur, nobis nim convenientiores ſunt illæ herbæ x qvibus dulcem ſuccum apes in hor- s noſtris exſugunt, qvam canna Indica. n Decocto Antiſcorbutico pro zinzi- ere & gariophyllis, ſubſtituamus rifolium aqvaticum ex aqvis torren- bus collectum, raphanum, ſinapi, vel piritum menthæ. In Electuario ſcor- utico pro Corticibus citri reponantur adices cichorii conditæ, vel juglandes, c cum ſyrupo ſcelotyrbico jungatur ſy- upus Mor. Norw. vel acetoſæ, ut do- neſticæ pharmacopœæ conſulamus & ncolarum commodo. In cæteris pari aſſu progrediendum ex Medici periti rbitrio. Nos enim tantum vulgaria ractamus, qvibus vulgus ex domi natis c confectis utitur. Nam qvi tanqvam copulos officinas Pharmaceuticas fu- iunt, pro hauſtu qvotidiano utuntur nfuſo raphani ruſticani cum ſemine umini vel fœniculi vel fol. cochleariæ,

& abſinthio, ſi amarorẽ non faſtidiant. Decoctum Trifolii aqvatici in uſu eſſe cœpit. Naſturtium & Cochlearia promiſcuè ſumuntur. Confectio autem & Spiritus Mororum Norwagicorum omnium vota ſuperat. Mori hujus ea in profligando Scorbuto deprædicatur virtus, ut eo affectu laborantes Norwegi amandentur ad virgulta, ubi uberrima hujus fructus eſt meſſis, ut iis ſolis baccis veſcantur, teſtaturq; experientia, ſanos ad ſuos poſt iſtum victum reverſos. Plantam primus deſcripſit *Cluſius*, ex relatione *Henrici Hojeri* Medici Bergenſis, apud qvem repetat, cui volupe fuerit. Norwegiæ ferè propria eſt, ut in noſtros hortos transportata, ſpem fallat. Tentavit non ſemel Divus CHRISTIANUS IV. Rex Daniæ glorioſiſſimus, & ſervatis omnibus reqviſitis, perennem in Auguſto horto Hafnienſi habere non potuit. In Cimbria fertur cœlum ſolumqve perferre. Duplici modo fructus hic conditus ad

nos

s aſſertur. Vel enim coqvitur in
ltem, diciturqve Multegrød/ qvaſi
ls rubi, vel integræ baccæ proprio
cco conſervantur. Hujus gratus ma-
ſapor, qvanqvam utilitate huic pri-
non cedat. De nucleis, qvi ſæpe
egri per alvum dejiciuntur, monet
leberrimus noſter *Simon Paulli*, in
æcautione Scorbuti, rejiciendos es-
vel cum baccis contundendos, ex-
mendumq; utriusq; ſuccum, qvem-
modum ceraſa pro vinis conditis
ntunduntur, hocq; ſucco, abjectis
manica nucleorum fragmentis, in-
xiè ægros veſci poſſe. Qvod præce-
um Viri publico conſulentis, ſtudio-
ſanitatis qvoq; commendamus. At
ia frigidum ventriculum lædit, un-
febribus peropportunum ſolamen,
mperari ſolet ſaccharo, melius for-
n melle. Spiritus autem inde confe-
us, corrigente alio non indiget. Ab-
thiacum potum continuatum arce-
Scorbutum, ſi diutius graſſetur, re-

fert

fert *Olaus Magnus* lib. 16. cap. 51. Norwegi olim curabant angelica, qvæ copiosè ibi provenit, cujus & radices & caules commendant, narrante *Petro Claudii* Deſcript. Norweg. cap. 26. ubi peregrinis inprimis infeſtum eſſe Scorbutum aſſerit ex eſu Paſſeris piſcis præpingvis, vulgò Hellefiſk/ ſine ſale comeſti. Alterius plantæ antiſcorbuticæ ibidem meminit, Incolis Erichsgræß dictæ, qvam ſuſpicatur eſſe cochleariam, cujus navigiola plena afferuntur. Hujus folia condiri & oleris inſtar per hyemē comedi. De terra antiſcorbutica Norwagica pridem egit *Olaus Wormius*, antiqvitatis patriæ promus condus Muſ. Worm. l. 1. S. 1. c. 4. cujus portiunculam qvoq; mihi miſit *Jo. Fr. Treublerus* Medicus Bergenſis eruditus. Hujus drachmam unam in aqva appropriata exhibent ad ſudorem provocandum. Mihi viſa eſt arenæ rubræ perſimilis, ut majorem aqvæ antiſcorbuticæ, in qva miſcetur, vim tribuam, qvam iſti

tertæ.

rræ. Miratur tamen *H. Petræus* Diſſ. armon. 38. hanc terram ad exteros on portari, præſertim à lucri cupidis nercatoribus. Qvæ fuerit herba Briannica apud *Plinium*, qva Stomacaen curabant, non ſatis conſtat. Deriptio ejus hæc eſt: Reperta eſt auxilio herba, qvæ vocatur Britannica, on nervis modo, & oris malis ſalutas, ſed contra anginas qvoqve & ſerentes: Folia habet oblonga nigra, raicem nigram: Succus ejus exprimiur & ex radice, florem vibones vòant: qvi collectus prius qvam tonirua audiantur & devoratus, ſecuros n totum reddit. Cochleariam fuiſſe lim cum aliis ſuſpicatus ſum, qvam tiam Cochleariam Britannicam alii ppellant. Habet enim in primo germine foliola ophiogloſſo vel lingvæ erpentinæ ſimillima. Hanc copioſe tiam apud Friſios naſci, hodieq; certum eſt. Effectus qvoq; reſpondet, in ris vitiis manifeſtus. Negat qvidem

Jo.

Jo. Wierus in Obſervationibus, qvia non ſit altera à Dioſcoridis Britannica, qvæ ſylveſtris lapathi ſortitur folia, ſed nigriora, piloſiora, & guſtu aſtringentia: Cochlearia verò rotunda, viridiora, aſaro ſimilia, lævia, minimè hirſuta, ut nec ullo modo aſtringentia; urinam etiam promovet, proinde nec anginæ conducit. Britannica item habet caulem, cochlearia verò multos pediculos cum ſingulis foliis ab una radice, qvæ etiam hic ad ſpithami longitudinem tendit, illius brevis eſt. Dici poſſet folia variare in cochlearia ratione ætatis & loci natalis. De ætate nuper diximus. Ratione loci, in Amagria inſula Urbi noſtræ vicina, cochlearia, qvam primus Parens noſter b. m. *Caſpar Bartholinus* detexit, marina, parvula repens, folia habet cæteris ſpeciebus magis oblonga. Altera erecta ejusdem Inſulæ caules habet erectiores, comparaturq; cochleariæ Britannicæ à laudato noſtro *Simoni*

Paulli

aulli in Flora Danica. Deinde ſi vel
verſa ſit deſcriptio, vel virtus, ſcien-
.um *Plinium*, qvi ex narratis & alio-
um relatione ſcripſit, facilè errare po-
iſſe in planta Romanis incognita.
Iulta qvoq; Friſiæ incolæ addere po-
ierunt vero minus conſentanea, ut
e tonitru, qvæ ſuperſtitionem ſapi-
nt. Vires diverſas facilè conciliamus.
mara enim cochlearia, qvia calida,
dſtringendi poteſtate exili pollere po-
eſt, urinamq; promovere, ſicut rapha-
us. Anginam verò per accidens ſa-
at, ad vias urinæ relegata materia
corbutica, qvæ faucium inflammati-
nem excitat, qvemadmodum naſtur-
um ad lingvæ paralyſin commenda-
ur. *Celſus* certè l. 4. c. 4. palatum in
ngina ungit felle taurino, polline eti-
m piperis reſpergit. De cujus ſucce-
aneo tradit *Balthaſ. Brunnerus*, Medi-
us celebris, qvod qvi metuunt ſibi in
ëre Saxonico à Scorbuto, utantur
lurimo ſinapi crudo & diluto cum
ſuc-

ſucco, didiciſſe enim experientia, hoc genus ſeminis acredine & ſubtilitate partium incidendo prohibere, ne fiant & colligantur obſtructiones, ita tamen ut admiſceantur qvæ leniter adſtringunt. Non pugnarim tamen contra illos, qvi Biſtortam pro herba Britannica accipiunt, cujus radix nigra, & folia lapatho haud abſimilia, virtusq; ad dentes roborandos commendatur, & ad Scorbutum.

Domeſticis hiſce contra Scorbutum remediis contenti ad ſocios Scorbuti morbos progredimur, ut ſupereſſe & illis ex patriæ benignitate medicamenta idonea appareat. Symptomata Scorbuti 49. recenſentur ab *Eugaleno*, totidem morbis paria. 1. Gingivarum putrefactio. 2. Maculæ ſubnigræ, purpureæ & ſublividæ. 3. Ulcera maligna. 4. Difficilis reſpiratio. 5. Vomitus ejusq; conatus inanis. 6. Alvi fluor & conſtipatio. 7. Dyſenteria mendax. 8. Febres inordinatæ. 9. Febres

es intermittentes. 10. Febres con-
nuæ. 11. Lipothymia facilis. 12. Cru-
m dolor. 13. Dolor juxta manus &
gitorum extrema. 14. Dolor nuchæ.
Variarum corporis partium dolor.
. Pleuritis falſa. 17. Ventris dolor,
aſi colicus. 18. Tumores duri. 19.
npotentia crurum ad ingreſſum. 20.
ali retractio verſus poplitem. 21.
antæ pedum punctiones. 22. Crurum
ralyſis. 23. Paralyſis lateris unius.
4. Debilitas totius nervoſi generis.
5. Colica in Paralyſin deſinens. 26.
onvulſio. 27. Epilepſia. 28. Apople-
a. 29. Particularis Convulſio. 30. Ar-
ritis. 31. Hydrops. 32. Hydrops
eſicalis. 33. Atrophia. 34. Ulcus &
ngræna digitorum pedis. 35. Ulcera
riarum corporis partium. 36. Fe-
es peſtilentiales & earundem tumo-
s. 37. Mortificatio cum & ſine ul-
re cruſtoſo & nigro. 38. Eryſipelas.
. Delirium & læſio memoriæ. 40.
urus & ſopor profundus. 41. Sputum

continuum. 42. Languor ſine cauſa. 43. Affectus languori ſimilis. 44. Sudor copioſus atrophiæ prodromus. 45. Lancinatio partium initio acceſſionum febrilium. 46. Jactatio membrorum. 47. Tremor membrorum. 48. Penis exulceratio. 49. Ulcera ſicca. Congeriem hanc variorum diverſorumq; ſymptomatum, qvæ ex uno ſcorbuti fonte pullulant, ſolis ferè ſcorbuticis medicamentis cochlearia, naſturtio, Becabunga &c. curat. Aureus enim illius eſt Canon, qvem omnes ſeqvi debent, nosq; in Borea uſu comprobavimus; ſcilicet in morborum *συμβολῇ* & concurſu, cum qvibus ſcorbutus noſter miſcetur, nullum integrè curari, niſi hunc una cures, aut medicamentis juncto morbo præſcriptis, unum vel plura miſceas, qvæ hunc morbum reſpicere & peculiarem contra eum vim & proprietatem habere credantur. Cæterum præter antiſcorbutica, ſingulis morbis ſua opponi debent

bent remedia ſpecifica, qvibus patrii campi abundant. Ut fidem liberem, in brevi qvaſi tabella exhibebo domeſticas herbas morbis qvos à ſcorbuto dependere credimus oppoſitas, ex qvibus ſibi qvisq; vel aqvas, vel pulveres, vel decocta præparet. In plurimis vulgi experientia ſtabo, in omnibus Medicorum, qvos vel priſca ætas tulit, vel noſtra, eruditiorum authoritate. Indice digito pauca monſtrabo, qvia reliqva ex Medicorum libris peti poſſunt, qvi de Materia Medica conſcripti proſtant.

Angina ſpuria vitio colluviei ſcorbuticæ ad muſculos colli protruſæ orta pro remedio populari habet externè abſinthium, origanum, pulegium, ſal nitri cum melle coctum: Internè expreſſum eqvini ſtercoris ſuccum. Hirundinum qvia pulli apud nos nidulantur, poſſet etiam ex illis auxilium ſperari. Hunc uſum docebo vulgus noſtrum ex *Celſo*, qvi id ex vulgi tradi-

 tione

tione recitat l. 4. c. 4: Vulgo audio, ſi qvis pullum hirundinum ederit, angina toto anno non periclitari: Servatumq; eum ex ſale, cum is morbus urget, comburi, carbonemq; ejus contritum in aqvam mulſam, qvæ potui detur, infriari, & prodeſſe. Id cum idoneos authores ex populo habeat, neq; habere qvicqvam periculi poſſit, qvamvis in monumentis Medicorum non legerit, tamen inſerendum ſuo operi credidit *Celſus*, cujus authoritate nos ſuſceptam hanc operam tuemur. *Plinius* poſtea l. 30. cap. 4. ejusdem medicinæ meminit, & ex Græcis *Dioſcorides* l. 2. c. 47. & *Ætius*. Sed ſtatim in limine offendo. Vix enim memineram me intra Floræ limites conſtrictum.

Ani, *Matricis* & *partium vicinarum* incendia ab acri ſero ſuſcitata, fœni græci vel lini ſemen, melilotus, papaver, in cerevìſia cum ovi luteo decocta extingvunt.

Arthritidis remedia in campis hortisq;

tisq; occurrunt: Anagallis. Bonus Henricus. Braſſica. Chamæpitis. Cichorei folia. Ebuli folia & Juglandis. Herba paralyſis. Lupulus. Narciſſus. Polentæ farina. Rapum. Rad. Symphyti. Urtica. Malvæ radices cum adipe ſuillo, & cineres braſſicæ, vel aqvam cannabis ſummis laudibus extollunt Empirici noſtri. Nullum inter multa alia ſimplicia ſalubrius remedium Suanto Rex Sueciæ & Gothiæ invenit, qvam qvod à colloqvio optimorum hominum accepit, ſicut teſtatur *Olaus Magnus* l. 16. c. 53. Pix noſtra qvid huc contribuat, in *Hiſtoriis Anatomicis* docuimus, qvid Nix, alibi qvoq; dictum.

Aurium dolores ſive à flatibus ſcorbuticis ſive alio humore enatos ſedant: Anethum. Alſine. Carduus Benedictus. Hyſſopus. Majorana. Marrubium. Melilotus.

Earundem vermes enecat: Fœniculi, gentianæ &c. ſuccus. Et ulcera ſanat Lupuli ſuccus.

Calculum frangunt, & expellunt, viasq; urinæ liberant: Allium. Althæa. Anonis. Aſparagus. Betula. Bacc. Cynosbati & Spongiola, Juniperi. Chærefolium. Coryli nuces. Daucus. Fraga. Glycyrrhiza. Hedera terreſtris. Herniaria. Hordeum. Lappa major. Leonis dens. Leviſticum. Linaria. Millepedes. Parietaria. Paludapium. Petroſelinum. Pimpinella. Raphanus major, minor & ruſticorum. Rapunculus. Solanum halicacabum. ſaxifraga alba. Viola.

Infinita alia ex officinis vulgi proferuntur calculi remedia, qvæ ad *Empiriam Danicam* reſervantur. Medicorum ſeptentrionalium apud *Olaum Magnum* l. 16. cap. 51. eſt ſecretum, decoctionem veteris cereviſiæ cum butyro calculoſis præbere. Ejusdem elegans epiphonema eſt: Illos medicos laudem majorem aſſeqvi, qvi ſimplicibus medicinis utentes, freqventius languores curant.

Colicos dolores diſſipant ſopiuntq;:

Althæa.

thæa. Anethum. Atriplex. Argentina, vena cum Sale Baccæ agrifolii, juniperi. Calamintha. Cardiaca. Carvus. hærefolium. Chamomelum. Daucus. ica. Filipendula. Fœniculum. Hedera rreſtris. Marrubium. Melilotus. Ru-. Trifolium pratenſe. Verbena.

Dolores capitis & dentium ſæpisnè ſcorbuticos excruciant, à ſero embranas capitis & dentium vellinte, ſive in capite genito, ſive per rculationem ex hypochondriis adendente.

Dolorum capitis mitigationem qvænt noſtri haud infelici ſucceſſu ex la verbena, vel matricaria, vel menna capiti nudo impoſita, vel collo arpove appenſa. Ἐυπόριστον muliercularum noſtrarum eſt, panis ſiligineus um ſale & aceto. Aliæ probant fanam ſiligineam adjectis abſinthii mmitatibus. Aqvam plantaginis caiti in linteo circumjectam, plurimaum experientia induxit. Varia alia

ſuppetunt, qvibus nulla habita cauſarum ratione, dolori ſuo occurrunt cives. Ditiores ad Aqvam Cephalicam Carolinam, tanqvam ad ſacram ancoram confugiunt, qvam ex ſolis herbis inqvilinis, imò ex ſola majorana ſi conficiamus, nihil remiſſuram à virtute ſua confido. Juglandis ſuccus ex Anglia non ita pridem innotuit, de qvo nos alibi. Folium juglandis capiti circumpoſitum vidi.

Dentium doloris tot extant vulgi remedia, ut numerus facilè iniri non poſſit. Qvot ora hominum, tot dentium ſolatia. Nec pauciora eſſe debuerunt, qvia qvod uni prodeſt, alterius ſpem fruſtratur. Pauca ex multis ſeligam. Radix hyoſcyami in aceto cocta, calendula bombyce involuta, radix iridis aqvaticæ, tormentillæ & plantaginis, cujus etiam vis deprædicatur ſi auriculæ adverſæ imponatur. Pyrethrum, qvinqvefolium, alumen cum melle coctum, pariter laudantur. Flo-

res

:s lupuli in cereviſia decocti præſens
uxilium ſpondent. Betonica, hyſſo-
us, liguſtri folia & ſalviæ, polenta,
vendula, cortex med. qvercus in ace-
o vel cereviſia cocta celebrantur.
lorum multa à Medicis excepta ſunt.
ed agreſtium Romanorum experi-
ento cognitum narrat *Celſus* l. 6. c. 9.
um dens dolet herbam menthaſtrum
um ſuis radicibus velli debere, & in
elvem conjici, ſupraq; aqvam infun-
i, collocariq; juxta ſedentem homi-
em undiq; veſte contectum, tum in
elvem candentes ſilices demitti, ſic ut
qva tegantur, hominemq; eum hian-
e ore vaporem excipere undiq; inclu-
m. Ita in ſucco parietariæ extin-
cum porphyritem, alii inter arcana
enditant. Reticere non poſſum eu-
hragiam, qvæ in agris noſtris luxuriat,
ujus lixivium mira præſtat, de qvibus
otanographi videantur.

Dentifricia in *carie dentium* fiunt
x Tormentilla, pyrethro, alumine
ſto, naſturtio aqvatico. Den-

Dentium *vermes* expelluntur melle, alumine, ſinapi, ſævo cervino.

Dolores vagi ſcorbuticorum allio diſſipantur, ſi illius ſucco artus fricencentur. Sperma ceti in cereviſia veteri experimento certo fidem obtinuit.

Diarrhœam aliosq; fluxus qvoscunq; tam maris qvam feminæ ſiſtunt: Argentina. Althea. Auricula muris. Berberis. Burſa paſtoris. Cotoneæ, Cannabis. Eqviſetum. Hepatica alba. Juli nucum. Lagopus. Lapathum acutum. Lunaria. Millefolium. Nummularia. Perſicaria maculoſa. Pimpinella. Plantago. Polygonum. Pruna ſylveſtria. Pſeudoiris. Pyra. Qvercus folia, muſcus, aqva. Qvinqvefolium. Roſæ rubræ. Symphytum. Tormentilla. Virga aurea. Ulmaria.

Epilepſia ſeu Comitialis morbus à ſero ſcorbutico, qvo plerunq; diſſectorum cerebra ſcatent, pro remedio inqvilino habet, Alcis ungulam, ceraſa nigra, cranium humanum, caſtoreum, eryn-

ngii radices, lilium convallium,
undines, Pæoniæ radices & ſemina,
cam, viſcum qvercinum, Tiliæ flo-
Qvorum qvædam collo appendun-
, ut ſemina pœoniæ, ungula Alcis,
cus. qvibus taleoli ex ramis ſalicis
buceæ coccineo ſerico ab ipſo æ-
inſuti novem adduntur, qvod ſe-
tum in *Hiſtoriis Rarioribus* annota-
nus, modumq; ejus operosè deſcri-
Simon Paulli in Flora Danica, de
bis noſtris inqvilinis præclarè me-
us: Nonnulla cunis infantum ſubji-
ntur, ut pes & ungula Alcis: qvæ-
m naribus offeruntur, ut Rutæ folia
ncifa in aceto ſambucino: alia in
vas ignis beneficio bibuntur, ut
va ceraſorum nigrorum, hirundi-
m, liliorum convallium, fl. Tiliæ,
olæ tricoloris; non pauca in pul-
rem trita exhibentur per os, cra-
m ſuſpenſi, viſcus qvercinus, C.
&c. vel per nares inſufflantur,
Caſtoreum & ruta: reliqva de-
coqvun-

coqvuntur in aqva ceraſorum, ut be-
tonica fl. Roriſmarini noſtri & Laven-
dulæ, viſcus qvercinus &c. vel miſcen-
tur pro errhinis, ut rutæ ſuccus, pulv.
rad. pœon. Ad qvam claſſem referunt
nonnulli oleum ſuccini, qvod tamen
improbat *Joh. Langius* l. 1. Ep. 75. qvia
credit per nares attractum potius pro-
vocare morbum qvam curare, de qvo
plura non dicam, qvia parcior eſt olei
ſuccini uſus inter noſtros ad errhina.
deniq; qvædam in annulos, vel armil-
las vel manubria pro cultris, ut ungula
Alcis, ſuccinum, viſcus qvercinus, tor-
nantur. Pro appropriatis occultaqve
virtute caduco morbo dicatis nonnul-
li in pretio habent fel canis, epar ra-
næ, cor lupi & ejusdem carnem, & ſan-
gvinem calentem, qvæ, qvia labore
non parvo acqviruntur & averſionem
naturæ teſtantur, inter rariora minus-
qve expetenda numeramus. Inter a-
muleta eſt, qvod Nobilis Matrona, fa-
tis jam functa, pro arcano mihi olim

con-

...ceſſit, meris characteribus con-...s, cujus certum promittebat effe-...n, hic tamen reticendum, qvod ab ...ginatione ægri & fiducia maximè ...endeat. Medicamenti formulam ...RISTIANO III. Regi Daniæ uſita-...a præterire non debeo, in magni ...gis gloriam, qvam Cimbriæ qvon-...n Prorex *Henricus Rantzovius* libr. ...d Conſ. Valet. c. 53. poſteritati reli-...t: R. Cranium ſive calvariam ho-...nis, præſertim furis ſuſpenſi, nulli-...; morbi interventu mortui. Hanc ...variam in craticula toſtam ad pul-...em redigito. Deinde accipito tria ...na Pæoniæ, atqve hæc cum una ...chma prædicti pulveris, & aqva la-...ndulæ ad qvantitatem unius cochle-...s ægroto tempore matutino exhi-...to. Poſtero & tertio die fac idem. ...met autem ægrotus hunc pulverem ...uno ſtomacho, ac tres continuos di-...ſe domi continebit, pauco potu & ...is lenis ac facilis digeſtionis utetur,

ut

ut ſunt ova. Non abs re etiam fuerit, ut ægrotus poſtea ſingulis diebus mane per aliqvod tempus cochlear aqvæ lavendulæ exhauriat. Os beſtiæ Unicornis etiam contra hoc morbi genus conducit.

Errhina, ſeu per nares ducentia humiditates, ſunt: Succus betæ, fagopyri, fl. Lil. Convall. Salv. Majoran.

Eryſipelatis adhibent noſtri, Alchimillam, farinam ſiligineam, panem triticeum, ſambuci aqvam & Rob. Senecionem.

Faucium exulcerationi à Catarrho Scorbutico occurrunt, aqvâ brunellæ, plantaginis, melle roſarum & violarum, ſyrupo cochleariæ, decocto hordei cum melle.

Gingivarum flacciditati, ex eadem cauſa, applicant acetum. C. C. Cochleariæ Spiritum. Fl. malv. roſ. & roſ. rubr. cum aceto, vel melle & alumine, vel aqva ferrata. Glandium calices. Sal. Linimentum ex aqvilegia.

Hæ

Hæmorrhagiam narium ſæpiſſime
idus Scorbuticorum ſangvis pro-
ovet. Cui Symptomati extempora-
a multa remedia admovent noſtra-
s: Et ſanè multorum delectum ha-
re convenit, ut primo non ſucce-
nte, ad ſecundum tertiumq; prom-
iſſimo conſilio progrediamur. Tu-
nda ex Lyſimachia vel ſucco ejus
nficitur: Succus argentinæ, burſæ
ſtoris, hepaticæ albæ, Card. Benedi-
i, plantaginis, polygoni, telephii,
d. urticæ commendatur. Betonicæ
lia cum pauco ſale immiſſa. Qvin-
efolium manu geſtatur. Fritillariæ
perimentum debemus *Jo. Bod. à Sta-*
l & *D. Simoni Paulli* noſtro. Putami-
a ovorum, urticas tenellas, folia Sam-
ici, mentham, fabam pari virtute
ommendant, de qvibus præter Medi-
os *Henricus Smidius* noſtras fuſius l. 3.
erb. c. 33. Aceto præterea partes
udendas immergunt, vel frigida. Na-
bus ſtercus ſuillum calens linteo ex-
ceptum

ceptum applicatur. Sordibus ſentinarum obſtruuntur nares. Lupi crepitus advocatur. Sangvis effluens exſiccatur. Bufo exſiccatus linteoqve obvolutus, ne ægrum terreat, collo ſuſpenditur. Ligaturæ digitorum lateris affecti, vel flexuræ imperantur. Vapor aceti attrahitur. Radix zizaniæ ſub lingva continetur utili experimento. Turunda ex alumine fit. Alia ex linea petia cum argilla veteri in fornace combuſta, qvæ bolo armeno non cedit, per nares ſurſum adigitur ut venulas apertas contegat. Supra nares in oculorum confinio numisma aliqvod aqva frigida vel aceto madidum arctè affigitur, vel idem locus, unde ſcilicet fluit ſangvis, digito fortiter comprimitur, ut ſubjectæ venulæ conſtringantur. His ſimilibusq; fluentem in præcipiti occaſione ſangvinem vel cohibuimus, vel compreſſum ab aliis accepimus. Solo verbo amicus qvidam impetum cruoris inhibuit, qvod qvia ſuper-

…perſtitionem redolebat, diſcere no…ui, nec docere. Memini tamen non …mel, præter venæ ſectionem, nulla a…qa profuiſſe. Nam caput frigidæ im…mergere, periculo non caret, qvan…qvam id pro certo experimento profe…it *Nicolaus Michaelius* lib. 2. Empir. …an. c. 2. Benè tamen ibidem monet, …ntinarum excrementa nuchæ ægro…um applicanda eſſe à tacente homine, …e ægro & adſtantibus nauſea oriatur. …ed brevitatis memor, in reliqvis par…or ero, qvia demonſtrare conſtitui …antas tantum domeſticas, ſine pere…rinarum ope, morbis noſtris ſufficere. …itur:

Hepatis morbos debellant: Abſin…ium. Agrimonia. Calamintha. Ci…orium. Dulcamara. Endivia. Eryn…um. Eupatorium Cannabinum. Fra…a. Gentiana. Gramen. Hepatica alba. …arrubium album. Mentha. Scor…ium. &c.

Hæmorrhoidum dolores & tumores

 miti-

mitigant: Althea. Eqviſetum. Filipendula. Linaria. Nymphæa. Scrophularia. Senecio. Verbaſcum. Veronica. Unifolium. Ex millepedibus uſu probatum eſt unguentum *Zancari* Medici antiqvi Bononienſis, qvod, qvia noſtris hominibus commodum, nec vulgo notum, non gravabor addere. R. Millepedes q. v. bulliant in adipe gallinæ & butyro non ſalito an. p. æq. & in adipe anguillæ, ad conſumptionem animalculorum, poſtea colentur, & Unguentum uſui ſervetur.

Hydropem evacuantia, eademq; lienis duritiem emollientia: Acorus. Bryonia. Centaurium minus. Ebulus. Fraxinus. Fumaria. Geniſta. Gentiana. Linaria. Lupulus. Polypodium qvercinum. Sambucus. Scolopendrium. Verbena. Vincetoxicum.

Ictero medentur: Aqvilegia. Cannabis. Centaurium minus. Chryſanthemum ſegetum. Cichorium. Chelidonium majus. Cuminum. Cuſcuta. Endivia.

via. Fragaria. Lupulus. Dulcamara. larrubium. Hedera terreſtris. Veroca. Vincetoxicum. Urtica. Decoctum Sem. Cumini, petroſelini & Croco, cretum eſt Nobilis apud nos Maonæ.

Inteſtino recto prolapſo benè faunt, ut & Herniæ: Apium paluſtre. ugula. Conſolida major. Eqviſetum. anacetum. Valeriana. Verbaſci flores.

Ad *Lienoſos* ſpectant ea qvæ in lienis uritie jam adduximus. At qvia freventes lienoſi in patria occurrunt, e auxilio compoſitorum deſtituantur vi noſtris acqvieſcere volunt, emplara confici ſvademus ex ſpleneticis ane recenſitis, ita tamen ut loco olei, vo caremus, eligatur butyrum, vel dipes bovini, cervini &c. qvibus eolliendi diſſipandiq; vis ineſt, vel ertè oleum è nucibus expreſſum, vod cum oleo capparum & amygdaarum pari paſſu ambulat. Unguenum ad ſplenes induratos optimum

 tradit

tradit *Hildanus* l. de Magiſtr. Compoſ. omiſſis omittendis, ex pingvedine humana, urſi, caponis & anſeris, in qvibus ſuccus cochleariæ, naſturtii aqvatici & tamariſci coxerit. Decoctio ſplenetica *Benedicti Victorii* l. 1. Empir. c. 31. felicia ſpondet, qvæ Recipit Radic. Filicis Unciam mediam, Cuſcutæ drachmas duas. Bulliant autem in aqva ſambuci, non, ut ille, in vino, ad tertiæ partis conſumptionem. Externum deniq; oleum ſi deſideres, ex ligno Fraxini & Juniperino per deſcenſum extrahit oleum *Bertruccius* Medicus Bononienſis l. 1. Med. Pract. tr. 3. ſ. 3. qvod deſiderio patrio ſatisfaciet.

Maculas ſcorbuticorum eluit balneum ex Becabunga, fumaria & althæa.

Melancholiæ proſunt: Epithymum. Hypericon. Meliſſa. Poma. Scorzonera.

Oculorum affectus juvant: Acorus. Cyanus. Chelidonium majus. Cynosbatos. Conſolida Regalis. Cotonea. Dens

ens Leonis. Euphraſia. Fœniculum. uniperi grana. Leviſticum. Narciſſus. ymphæa. Perſicaria. Plantago. Por-ulaca. Poma auſtera. Roſæ albæ. Sam-bucini fungi. Valeriana Sylveſtris. Ul-mi folliculi.

Ad *oris affectus* in ſcorbuticis oc-currentes in Conſilio Facultatis no-ſtræ, Eclegma præſcribitur, & aqva pro oris ablutione. In utroq; medicamen-to gallas immaturas balauſtiis ſubſti-tuamus, & ſi vitrioli ſpiritus in prom-ptu ſemper non ſit, ſpiritus ſalis vel nitri ſuccedat. Reliqva ingredientia ubiq; in campis proveniunt, & in hor-tis inveniuntur.

Paralyſin ſeu partium Reſolutionem vulgus non malè curat Aqva vitæ, in qva infunduntur Lavendula, Salvia, Ju-niperi baccæ, Majorana &c. Hac lo-cum reſolutum fovent. Caſtoreum & ſuccinum prudentiores addunt, qvi-bus principium nervorum & ſpina dorſi inungitur. Spongiam alii ſumunt

imbutam lixivio ex ſale nitri. Aliud accepimus ejusdem momenti qvod antiſcorbuticis exauximus Ea enim methodus ubiqve ſervanda, ut jam ante monuimus, ne oleum operamq; perdamus. Decoqvitur Salvia cum Ebulo, manusq; affecta vapori ſupponitur. Deinde R. Aq. Vitæ libram mediam, Salviæ, Rutæ, Cochlear. an. M. j. decoq. in vaſe anguſti colli, cujus decocto petiis madidis foventur partes. Alii reſoluta membra fricant Sp. Vini cum oleo Chamomelino, vel ejusdem ſucco, teguntq; pellibus agninis vel vulpinis. Qvi penitius rem inſpiciunt, internis aqvis ſe muniunt. Qvibus Apoplectica deeſt aliam parabilem ſibi parent nec magni pretii nec apparatus. Salvia, Lavendula cum primula veris & Naſturtio in aq. Betonicæ macerata deſtillantur in Balneo Mariæ, vel eo deficiente in ſtanneo vaſe decoqvuntur, & bibuntur. Artifices rotulas commendant, qvas ex patriæ bonis ita

con-

onficiunt. R. Fl. Lil. Conval. Laven-
ul. an. Unc. V. mellis virgin. q. ſ. coq.
d perfectionem. Remotis ab igne ad-
e ol. Succin. rectif. Scrup. j. extract.
el ol. Salviæ. Cumin. an. drachm. iij.
gitentur piſtillo & f. l. a. Rotulæ. Ad-
ertendum verò, qvoties Spiritus vi-
i fit mentio, non deſtillari eum ex vi-
o, qvo natale noſtrum ſolum caret,
ed ex frugibus, qvod laudem illi am-
iguam facit, ut alibi pluribus demon-
tratum.

Pectori deſtinata ſunt: Braſſica. Glycyrrhiza. Hedera terreſtris. Helenium. Hyſſopus. Ros Solis. &c.

Pernionibus apta: Beta cocta. Hyoſcyamus. Napum. Cinis combuſtæ pellis leporinæ.

Robur corpori addit ſangvis Urſinus. Ita enim in Biarconis hiſtoria *Saxo* noſter l. 2. Hiſt. Dan. Urſum eximiæ magnitudinis obvium ſibi inter dumeta factum, jaculo confecit, comitemq; ſuum Jaltonem, qvo viribus

major evaderet, applicato ore, egeſtum belluæ cruorem haurire juſſit. Creditum namqve erat, hoc potionis genere corporei roboris incrementa præſtari. Forſan qvia ipſi Urſi ſuctu ungvium pingveſcunt, & lac ex pedibus eliciunt, ſangvini plurimum nutrimenti ineſſe exiſtimatum. Hodie cibis plenis utuntur noſtri ad robur conſervandum, & cereviſia meliori. In virium debilitate, Scorbuticis ſæpe ſuperveniente, Spiritu Vini cum cumino reficiuntur, vel aqva meliſſæ, boraginis, bugloſſæ, vel aceto.

Scabiem familiarem huic morbo emendant: Alſine. Avena. Anagallis. Bonus Henricus. Braſſica. Chelidonium majus. Fagi aqva. Fumaria. Lactis ſerum. Kali. Gallium. Eupatorium Cannabinum. Helenium. Lapathum acutum. Leviſticum. Marrubium. Morſus Diaboli. Naſturtium hortenſe. Nux juglans. Nummularia. Paronychia. Parietaria. Piſa. Poma acerba.

Rubi

bi folia & rami. Scabioſa. Scrophu-
ia. Sinapi. Veronica. Viola trico-
r. Ex his variæ medicamentorum,
æſertim externorum fiunt formulæ,
o cujusvis arbitrio. Vulgi remedia
oqve ſunt, aqva piſcium ſalitorum.
erevifia Martia. Hordeum mola
mminutum in aqva coctum. Lini-
entum ex Sulphure, butyro & aceto.
gillæ aqva infuſa.

Scorbuti antidota compendio af-
ram. Acetoſa. Acetoſella. Becabun-
. Chamæmorus Norwagica. Cheli-
onium minus. Cochleariæ omnes.
yſimum. Flos cuculi. Illecebra. Na-
ırtium hortenſe. Naſturtium aqvati-
ım, ſed qvod in limpidis & fluenti-
ıs rivulis provenit, monente *Eugale-*
: nam qvod in cœnoſis & ſtagnanti-
ıs qvibusdam aqvis creſcit, ſicuti ſa-
orem ingratum atq; injucundum ha-
et, ita inefficax qvoqve illud eſſe ex-
ertus eſt. Nummularia. Raphanus

ruſticorum. Sinapi. Trifolium acetoſum. Trifolium aqvaticum.

Sputum cruentum ſupprimunt: Conſolida major. Lyſimachia. Plantago. Polygonum. Pulmonaria maculoſa. Qvercus folia. Salvia. Millefolium. Burſa paſtoris. Rad. Biſtortæ. Papaver. &c. eademq; in vomitu cruento Scorbuticis familiari conferunt.

Adverſus *Surditatem* proficiunt: Alſine. Fœniculum. Fraxini cortex, lignum & ſemen. Lavendula. Mercurialis.

Tumoribus qvibuscunqve dicata ſunt: Aparine. Lini ſemen. Lilium album. Malva. Mel. Melilotus. Scabioſa. Terreſtris hedera. Tritici farina.

Tumores *lateris* diſcutit Alſine; *ingvinis*, Anonis; *lienis*, Cicuta, qvam iccircò emplaſtro noſtro Splenetico in *Diſpenſat. Hafn.* admiſcuimus, præeunte *Hildano*, qvi exinde emplaſtrum de cicuta vocat. Sambucus; *manuum*, ſeu nævos, vulgò Wortter/ Braſſica. Cepa. Eſula.

ula. Lenticula paluſtris. Linariæ ſuc-
s. Mercurialis. Naſturtium horten-
Sambuci baccæ & turiones. *Pedum*
ivos, Raphani radicis cortex. *Colli*
ophulas, Scrophularia.

Ventriculum roborant: Abſinthi-
n. Coriandrum. Gentiana. Heleni-
n. Juniperi baccæ Hydropiper. Men-
a. Pimpinella. Sinapi. Urtica.

Vermes enecant, expelluntqve:
protanum. Abſinthium. Allium. Bal-
mita Braſſicæ ſemen. Biſtortæ radix.
ardiaca. Carduus Benedictus. Cen-
rium minus. Cepa. Enulæ ſuccus.
upatorium cannabinum. Hypericon.
edera terreſtris. Gentiana. Gramen.
glans nux. Filicis radix. Marrubium.
atricaria. Millefolium. Petaſitidis ra-
x, Portulaca. Ruta. Scordium. Scro-
ularia. Santolina. Tanacetum. Vin-
toxicum. Urticæ ſemen.

Ulcera antiqva procurantur: Ab-
nthio. Filicis farina. Juglandis foliis,
iguſtro. Raphano majori. Rubo. Scor-
io.

Maligna expiantur: Alliaria, Petaſitide, & infinitis aliis qvæ non vacat recenſere.

Uvulæ caſum, Scorbuticis haud inſolitum, revocant: Ros. rubr. Sem. Cochleariæ. Rad. Biſtortæ, Tormentillæ. Alumen uſtum. Qvibus nihil proficientibus, forti manu pilus verticis vellitur, vel tandem uvula abſcinditur, qvam operationem ſingulari inſtrumento perficimus, qvod à Ruſtico Norwego inventum alibi in Hiſtoriis Anat. Rarioribus à me depictum extat, & ex meis ad calcem Armamentarii *Sculteti* Hagæ-Comitis editi viſitur translatum.

Alterum morborum genus, patriæ valetudini adverſum, eſt Febris, qvam à ſuperioribus ſeparamus, non qvod comitem ſcorbutum non habeat, aut ab eo non dependeat, ſed qvod calidam cauſam agnoſcat, & communis aliis nationibus ſit. Febris enim incendio camini comparatur. Nonnunqvam

ram ardet caminus à proprio fomen-
e fuligine copioſa; nonnunqvam ali-
de à vicinis communicato igne.
& febris noſtra à materia ſcorbutica
mio calore æſtuante excitatur, vel ex
iis hauſto miasmate accenditur.
oc pacto peſtilentia ſæpe à vicino-
m infectorum commerciis ad nos
ansfertur. Illa qvanqvam in frigido
ptentrionis aëre rarior ſit, raritatem
men gravitate compenſat. Gravis-
ma enim peſtilentia Norwegiam 1350
evaſtavit, commerciumq; intertur-
avit ad Grónlandiam, ab illo tempore
rè intermiſſum. Noſtra memoria
vinqvies in Dania peſtilentia graſſata
ſt 1619. 1625. 1629. 1637. 1654. ſemperq;
liunde transportata. Nec immuni-
atem nobis pollicemur, qvoties vel
antiſci vel Amſtelodami lues inva-
nit, qvod freqventius noſtrorum na-
es hinc inde commeent. Febres aliæ
alignæ in Islandia & Inſulis Feroënſi-
us freqventes, eæq; petechiales, vitiô
victus

victus craſſioris, excrementis cumulatis & accenſis. A Deo vindice vel monente immitti olim creditum. Ita de Waldemaro Rege Daniæ prodidit *Saxo Grammaticus* l. 14. cum magnis viribus ſuccinctus, expeditionem pararet contra Falſtriam, propter unius tantum præcipitis lingvæ vehementiam, apud Ringſtadium ſubita febri implicitum: peſtiferæ molitioni opportunam valetudinis conqvaſſationem remedio fuiſſe, nec minus Waldemari innocentiæ, qvam inſontis populi ſaluti, miſſo cœlitus languore conſultum. Qvis enim ambigat divino numine effectum, ne patriæ Imperator futurus in ipſo pene fulguris ſui primordio regnum, qvod ex hoſtium manibus erepturus erat, obrueret? Remedium qvoq; divinitus immiſſum ab eodem *Saxone* narratur, qvem ſeqvitur *Alb. Krantzius* l. 6. Dan. Languore enim indies acrius graſſante, Abſalon Præſul & Belli dux, pro ſalute regia votis excubavit,

vit, qvi ad ultimum veluti remedii
ſperatione perfuſus, cum unicum in
rtute divina auxilium reſtare ani-
adverteret, ad eam propitiandam
mma cum examinatione vota pro
groto nuncupaturus acceſſit; divi-
mq; rem ſacerdotali veſte amictus
rè peregit, ſacrificia deinde legitimis
rbis confecta ad ægrum detulit, ac
nè exanimi delibanda porrexit. Qvi-
us ille refectus, continuò oborto ſu-
ore, bonæ valetudinis habitum recu-
ravit. Febris autem qvæcunq;, qva-
m noſtro ſeculo noſtri patiuntur,
lerumq;, ut dixi, ſcorbuto ſociatur,
el ab hoc dependet, vitioſis ſcorbuti
umoribus ignem à qvacunq; cauſa
am interna qvam extra adveniente
oncipientibus. Unde varia in ſan-
vine vitia, ebullitionesq; ſangvinis
corbutici variæ ſuſcitantur, variolæ,
morbilli, pleuritis, phtiſis, deliria, ex-
nthemata alia peſtilentiæ, præter illa
vae nominavimus qvum de ſcorbuti
ſym-

ſymptomatis nobis eſſet ſermo. De ſingulis pauca addamus, inſtitutum noſtrum perſeqvuturi, ut publicè conſtet, neq; vulgo noſtro deeſſe auxilia domeſtica expugnandis febribus illarumq; pediſſeqvis ſufficientia, nec Medico inqvilinis remediis acqvieſcere volenti. Tertiana febris eſt inter noſtros uſitatiſſima, qvam iccircò infinitis penè remediis ſeu ſpecificis debellare novit vulgus. Inter multa pro infallibili ſecreto commendatur vermis ſeptem nodulis diſtinctus, pollicis longitudine, qvi in parietibus reperitur, & intra arborum cortices, qvem alii cimicem vocant. Hunc qvoq; contra typum tertianæ olim fuiſſe deglutitum teſtatur Q. *Serenus Sammonicus*:

— tritus cimex potatur in ovo,
Horridus attactu, ſed guſtu commodus apto.

Millepedes qvoq; tacitè digitali clauſos collo febricitantium appendunt, donec expirent. Superſtitio creditur ſilen-

entium. Sed, me judice, fruſtra illud
on imperat vulgus. Nam loqven-
um fortiore halitu, impuro inter-
um & morboſi corporis infectione
fædato immutari poſſunt res & in-
i qvæ tractantur, ut de viribus inſitis
on parum remittant. Muliercula de-
rmis ſe feliciter curare febres mihi
ſeverabat pulvere Ceruſſæ, initio pa-
xysmi cum cereviſia dato, & vomi-
m concitante, qvam nimis rudem
edicinam illi libenter linqvimus.
ertior eſt de Unicornu noſtro Grón-
ndico, Cornu Cervi & oculis Can-
orum experientia per multorum ſa-
tes probata, qvæ in aqva Cardui be-
edicti vel Sambuci vel cereviſia cal-
, imminente febrili inſultu, oblata,
dore inſeqvente, etiam ſine nauſea,
brem in qvibuscunq; jugulant. Salia
pulveres Cardui Benedicti eadem
æſtant. Alii porrum contuſum in Sp.
ini ſumptum, ut & pulveris pyrii
antum ter tribus digitorum apici-

 bus

bus comprehendimus, præferunt. Multis hoc anno 1665 profuit pulvis abſinthii in aceto exhibiti pondere drachmæ mediæ. Qvod Nobilis Matronæ fuit ſecretum. Alius hoc ipſo tempore, inter ruſticos pro certiſſimo arcano diſſeminavit pulverem candidum fœtidum, in aceto propinatum, qvem deinde comperi eſſe candidum canis ſtercus, qvod nitro ſuo prodeſſe potuit. Nitrum enim etiam doctiorum Medicorum conſilio febrium ebullitionem figit. Pro vero experimento amicus mihi confirmavit acetum, in qvo ovum maceratur donec nigrorem contrahat. Paſtor religioſus ranunculum uſu habet compertum carpo impoſitum. De aranearum telis nihil dicam, ab omnibus decantatis. Pulvis radicis gentianæ in aq. Card. Benedicti hauſtus, affines cum pulvere Peruviano antifebrili, qvem ex radice Chinæ Chinæ conficiunt & ſæpe in defectu falſis ſubſtituunt, virtutes poſſidet.

Cæte-

:ætera qvæ etiam ab eruditis Medicis pprobantur ſive appenſa, domi haben- ır. v. g. Chelidonii majoris ſemen in qva deſtillata ejusdem herbæ infu- ım, ante acceſſionem bibitum. Folia jusdem chelidonii & plantaginis, cum elis aranearum, ſeminibus urticæ, ıligine & ſale communi in aceto for- iſſ. mixta, carpis applicanda. Auricula nuris, folia burſæ paſtoris, cortex in- erior ramorum nucis, ſempervivum, cc. in aceto vel ſale macerata eodem nodo uſurpantur. Ad febrem qvo- idie invadentem milii ſolis drachma n aq. octies propinatur. Qvartanæ leniq; febris potionem, antеqvam nominem occupet, ex ſeminibus Hy- perici & heliotropii in aqva Cardui Benedicti vel ſambuci infuſis præpara- mus. Cæterum pro ſupplendis vulgi remediis febri dicatis vacuum hic lo- cum relinqverem, niſi multitudine ſua aborarent. Tot enim ſuppetunt, qvot nomines ruri numerantur, qvando

meſſis eſt. Per transplantationem mulierculæ qvoq; curant, ſuſpenſo arboribus lini faſciculo. Febris Malignæ ſeu petechialis, qvæ populariter nonnunqvam apud nos graſſatur, curationem methodicam pro uſu populari Facultas Medica Hafnienſis conſcripſit, publiciq; juris fecit in *Ciſta Medica* à nobis Latinâ lingvâ repetitum, in qvo pleraq; ſunt Daniæ domeſtica, ſi myrrham, cortices citri & ſuccum, dictamnum Creticam, Theriacam, Mithridatium, ficus, aloën, terram ſigillatam, fol. ſenæ, rad. Jalappæ, ſcammonium & alia nonnulla elidamus, qvibus ſubſtituuntur apud nos naſcentia, paſſim allata. Idem dictum volo de Conſilio alio ejusdem Facultatis pro peſte. Neq; enim inqvilina contra peſtem viliori loco habenda. Ut breviter ſuppleam, qvæ ad hanc febrium claſſem ſpectant, ex Floræ gremio nonnulla decerpam.

Anodyna uſu comperta ſunt: Lac. Fari-

ꝼarina tritici. Melilotus. Perſicaria. Plantago. Sambucus &c.

Cordialia probantur: Borago. Bugloſſum. Cardiaca. Meliſſa. Roſæ. Rubus Idæus. Scorzonera. Scordium. Violæ. Qvibus omninò addendum Cornu Cervi, & Unicornu noſtrum.

Delirium avertunt: Argentina cum ſale. Nymphea. Papaver.

Dyſenteriam ſeu fluxum alvi cruentum eadem ſiſtunt, qvæ in Diarrhæa ſuper perſcripſimus. Accuratum pro Dyſenteria Conſilium prodiit opera Facultatis Medicæ Hafnienſis 1652. qvum epidemius ille in urbe noſtra eſſet morbus plurimosq; è medio tolleret, in qvo vel mutare poteſt vel ſubſtituere domeſtica Medicus, cui & cura ægrorum noſtrorum committitur, & patriæ laus incumbit. Eadem tempeſtate civis qvoq; Hafnienſis honeſtus publicæ Scholæ Danicæ præfectus, *Wilhelmus Petri Trelund*, ſua experimenta inter vulgus diſſeminavit, qvæ poſtea

 juſſu

juſſu Ser. Reg. Maj. propoſito præmio propalavit. Summam hic contraham, in gratiam illorum, qvi & popularem medicinam amant, & lingvæ noſtræ Septentrionalis periti non ſunt. Ad præſervationem longa experientia nihil efficacius depræhendit pro vulgo, qvam poculum vino, vel cereviſia abſinthide mane hauſtum, vel qvandocunq; neceſſitas juſſerit, qvia non à dyſenteria tantum præſervet, ſed & peſtilentiam, petechias, aliosq; malignos morbos averruncet, urinam pellat, conſumatq; ſuperfluos humores in corpore collectos, augeat præterea ciborum appetitum, ſi poſt ejus uſum abſtineamus à cibo per horas 3. vel 4: multos etiam in morbi hujus principio curatos eſſe, obortis in abdomine torminibus, ſolo vino per extractum ſeqvens amariuſculo. Et ut unusqvisq; pro neceſſitate ſtatim ſibi ipſi vinum vel cereviſiam conficiat, breviter pro vulgo noſtro docet, qvomodo parandum

um ſit Extractum abſinthii, qvod diu ſervari poteſt, & exinde ſtatim cere-iſia tam amara redditur, pro ut cu-isvis palato arriſerit. R. ſummitatum bſinthii ſeu ejusdem ſeminum Unci-m unam cum dimidia, Cardui Bene-icti ſicci drachmas tres, ſummitatum Centaurii ſicci, Cort. aurant. ſicc. Rad. ormentillæ ana drachm. duas. Cubeb. ol. meliſſ. ſicc. Rad. ariſtolochiæ, An-elicæ, Helenii, Entiani, Calami an. rachm. unam & ſemis. Hæ duode-im ſpecies partim minutim conci-dantur, partim minutim contundan-ur, deinde vitro latioris orificii in-dantur. Hiſce herbis affundantur qva-rantes Spiritus Vini, Rhenani, Galli-ci, vel Danici, & qvotidiè bis vel ter concutiantur vitro benè clauſo. Poſt-qvam eo modo per octiduum vel diu-tius infuſio & commixtio peracta, vi-num per linteum mundum percole-tur, & herbæ in eodem exprimantur, donec nihil humoris reliqvum ſit. Iſte

percolatus Vini Spiritus & Succus, vitro benè clauſo includatur, donec omnis craſſa portio fundum petat, deinde per inclinationem purum ab impuro ſenſim ſeparetur, & in vitro mundo conſervetur.

Dyſenteriam deinde qvamcunq; ſeqventi modo curat: Simulac tormina in ventre temporibus infectis ſentiuntur, vel naturæ conatus per ſeceſſum ſæpius inſtat qvam conſvetum eſt, ſvadet vitri ex vino vel cereviſia abſinthide hauſtum bis vel ter de die, & abſtinentiam à cibo per aliqvot horas. Hoc remedio ſolo multos ſervatos gloriatur, qvi in tempore prævenerunt, & naturam roborarunt. Durante fluxu alvi abſtineri vult ab omni cereviſia tanqvam à veneno. Qvando certis indiciis cognoſcimus dyſenteria ægrum laborare, exhibet qvartam partem menſuræ noſtræ ex ſeqventi potione calidiuſcula, idq; jejuno ventriculo: non verò ſemel & ſimul ebibendum

um omne qvod exhibetur, ſed relinvenda duo cochlearia, in uno miendam eſſe nucem moſchatam trim, & unà aſſumendam, alterum deinde cochlear ſuperbibendum, ut nux moſchata facilius in ventriculum deſcendat. Hinc per 4. vel 5. horas ab omni cibo & potu abſtinendum.

Potionis Antidyſentericæ præparatio: R. menſuram unam cereviſiæ melioris notæ, benè coctæ; huic immitte manipulum ſeminis abſinthii, præterea cochlear Salis Lunæburgenſis vel purioris, invicem probè coqvantur, donec cereviſia utriusq; ſaporem imbiberit, inprimis abſinthii; deinde per linteum mundum percola, & utere ſicut hic præſcribitur, & perſpicies qvod Deus in minimis etiam nobis oſtenderit bonitatis ſuæ & omnipotentiæ ſigna. Si metus ſit, qvod cereviſia benè non ſit cocta, ſemel atq; iterum ebulliat, & fermentum deſpumetur, anteqvam abſinthium & ſal infun-

 dan-

dantur. Ex præſcripta potione exhibetur qvarta menſuræ pars homini adulto. Pueris & junioribus exhibendus idem potus, & ex nuce moſchata ſecundum proportionem. Pueris 14. hebdomadas natis ſufficiunt tria cochlearia cum parvaqvãtitate nucis. Semeſtres pueri juvantur qvatuor cochlearibus. Anniculi pueri aſſumant ſex cochlearia & qvartam nucis partem,& ita porrò. Prægnantes mulieres eodem potu utantur & nuce qvoq; ſine periculo, anteqvam partus tempus immineat. Pueri & juniores, ut & alii, poſt ſumptam potionem abſtineant ab omni cibo & potu qvamdiu poſſibile, ſed habita virium ratione.

Poſt qvatuor vel qvinq; horarum jejunium, dari poſſunt ægro ſenſim duo vel tria cochlearia ex ſeqventibus, ad ſitim ſedandam, & vires refocillandas, ſed parciſſimè, qvantum fieri poteſt, nec ex omnibus, ſed uni vel alteri inhærendum, præſertim primo,

reli-

liqva enim apponuntur, ut ægro pe-
nti eligendi detur poteſtas:

1. Sume mediam menſuram no-
am lactis recentis, cui immitte tres
nes triticeos raſpatos, non recentes,
oqvantur, & ægro per vices exhibe
ochlearia duo vel tria.

2. Sume juſculum pulli vel alte-
us carnis, cui immiſce duo vel tria
vi vitella; coqvantur invicem, & ſi-
ili modo propina ægro duo vel tria
ochlearia.

3. Sume vini qvartam, & aqvæ
oſarum qvartam partem, miſce iſtis
. vel 3. vitella ovorum, coqvantur ſi-
ut alia juſcula ex vitellis. Ægro ex-
ibe cochlear unum vel alterum ur-
ente neceſſitate & ſiti, ſed qvam fieri
oteſt parciſſimè.

4. Sume lactis recentis mediam
ottam, immiſce ſeminis plantaginis
rachmam unam, & radicis Tormen-
illæ drachmam mediam, utrumq; be-
è contuſum coqvatur. Percolati de-
inde

inde lactis da ægro cochlear unum, inprimis ſi multum ſangvinis fluat, & parum pituitæ.

5. Poculum vini abſinthitis ægro concedatur, ad ſitim, robur & tormina.

6. Si urgeat ſitis, cochlear unum vel alterum aqvæ plantaginis ſumatur, cum Syrupo Ribium, ut aqva tingatur.

Si à potione prima morbus & fluxus ventris non ceſſet, repetenda eſt potio iterum iterumq; ſecundo & tertio die, jejuno ſtomacho, qvamdiu morbus perſtat. Si vehementiſſimè urgeat morbus, ſumendum ovi vitellum & rad. tormentillæ contuſæ drachma media, & ſem. plantaginis drachm. media. Malaxentur invicem, & coqvatur placenta ſuper calidam tegulam, ſæpius invertenda, ne comburatur. Ex qvibus placenta una ægro danda 4. vel 5. horis poſt hauſtam potionem, nam potenter aſtringit. Notandum tamen non eſſe ultra adſtringendum, qvam ut ſpatio 24 horarũ alvus qvater vel ſexies depo-

ponatur. Qvod ſi interea ſentiantur ventre tormina, ſenſim ex præſcripta tione aliqvid bibendum, ſine nuce oſchata, vel poculum vini abſinthi-s, mane, meridie & veſperi. Qvibus bſervatis, ſpondet author Lectori, hil eſſe à ſe prolatum, cujus verita-m non ipſe ſit expertus in aliqvot ille ægris.

Forte, qvum in publicam lucem oc Conſilium prodiiſſet, in Academi-a Ventilatione judicium ſuum de Em-irica iſta cura propoſuit Vir ſeculo-um memoria digniſſimus *Olaus Wor-ius*, Medicus & Antiqvarius Daniæ ımmus, qvod hic Lectoribus exhibeo.

I. An unico Medicamento omnes Dyſenteriæ ſpecies curari poſſint? Dy-enteriam exulcerationem eſſe inteſti-orum cum dejectione freqventi, cru-nta aut purulenta, ventris dolore ac orminibus, à materia acri inteſtinis eculiariter adverſa & erodente ortum rahentem, apud Medicos eſt in con-feſſo,

feſſo. Sed ſuos habere gradus ſuasq; differentias etiam animadverſum. Qvædam enim in fieri eſt, ut loqvuntur, ſive in principio ſui curſus, qvædam in facto eſſe, ſeu confirmata jam & ad ſummum exacerbationis deducta. Qvædam benignior eſt, qvædam malignitatem & contagium adjunctum habet. Qvædam inteſtina leviter afficit & exulcerat. Qvædam ea perforat planè, ut excrementa per ulcus egrediantur, & partes vicinas qvoq; lædit. Cujus exempla *Schenckius* ſuppeditat. Qvædam etiam ratione ſubjecti differt, ut vel pueros, vel adultos, vel ſenes adoriatur. Qvædam in tenuibus inteſtinis, qvædam in craſſis ſedem fixam habet. Qvædam pluribus ac diverſis comitata eſt ſymptomatibus, qvædam nullis aut mitioribus. Has omnes hujus morbi differentias uno modo tractari, aut unico medicamento curari poſſe qvi aſſerit, cum ratione inſanire mihi videtur, non ſecus ac ille qvi

uno

io calopodio omnes homines calare allaborat.

At urgent Empirici ſua ſecreta & experimenta: ſe unico eoq; levi medicamento, aliqvot annorum decurſu, illia aliqvot curaſſe. Narrantem dicere verum qvis credat? Fide dignis c opus eſt teſtibus. Qvi facilè credit, cilè decipitur. Qvot interea eodem oc medio peſſum dederint, tacent. vamplurimis hac tempeſtate contra yſenteriam exhibuit ſuum ſecretum mpiricus: ſed ex iis paucos curatos, Iaturæ robuſtioris beneficio, plures n pejus lapſos, ac conqveſtos ſe ex uſu ujus pharmaci deterius habuiſſe, meum norunt Medici hujus civitatis ruditi, qvorum ope fuerunt reſtituti, lurimos verò neci traditos. Ita per nortes facta experimenta. Qvi igitur redunt omnes dyſenteriæ ſpecies omiaq; ejus ſymptomata, in tam diverſis tatibus, naturis, temperamentis & onſtitutionibus, unico pharmaco pro-

profligari poſſe, ſanæ rationi & indubitatæ experientiæ vim inferunt, magno ægrorum periculo & detrimento. In primis cum rebus ſuis diffidere ipſi Empirici videantur. Animadvertentes enim primarium ſuum arcanum ſcopo non ſatisfacere, confugiunt ad alia qvibus Medicos Rationales feliciter uti viderunt, ut ovorum lutea, ſemina plantaginis, radicem tormentillæ, pulmenta ex oriza, tritico, amylo, frumẽto ſaracenico, panem bis coctum, aliaq; ejus generis. Nihilominus tamen clamant arcanum qvod venditant eſſe omnia in omnibus.

II. An Cereviſiæ uſus ad ſedandam ſitim in Dyſenteria, tanqvam venenum fugiendus? Cereviſiam potum eſſe Septentrionalibus nobis, ut ordinarium & freqventem, ita qvoq; ſalubrem, vix invenies qvi neget, modo benè cocta, ex aqva pura, hordeo & lupulo melioris notæ elaborata. Ejus enim uſu videmus noſtros & ſaniores & fortiores

res & pulchriores reddi iis, qvi aſſi-
o vini uſu viſcera exurunt, ſangvinis
ſſam aſſant, & corporis habitum
cilentiorem ac debiliorem reddunt.
tione hordei elaborati abſtergit, re-
gerat, nutrit, ac ſitim ſedat, ratione
uli à putredine & aciditate conſer-
ur, viſcerum obſtructiones tollit,
per meatus urinarios liqvorem in-
lem extrudit. Qvocirca & noſtris
turis convenientiſſimus potus benè
iq; coqvitur, fermentatur, ac in vaſis
ndis aſſervatur. Hoc tot myria-
m experimentis indies comprobari
demus, ut ſi qvid in ſe contineret
nenati, jam dudum peſſum dati fuiſ-
mus omnes, qvotqvot Septentrio-
m incolimus, qviq; ſine ea vix vive-
poſſumus. Cereviſiæ verò varii
m ſint gradus, qvorum ratione va-
os producunt effectus, nos in dyſen-
ia ejus uſum concedimus, qvæ te-
ior eſt, modo bene cocta & ex in-
edientibus optimis elaborata, nec

 recens

recens nimis, nec acida maximo dyſentericorum commodo. Sitim enim ſedat, ratione hordei, humores acres abſtergit, calorem mitigat, & ut morbo magis ſit appropriata, ſvademus buccellam panis toſtam ac pulvere nucis Moſchatæ conſperſam ei ut indant, robur ventriculo & inteſtinis ſimul ut concilietur. Vel vitellum ovi ei incoqvi jubemus, non ſine maximo ſucceſſu, ut qvotidiana his temporibus nos docuit experientia. Sed improbat hoc Empiricus, etſi ex cereviſia ſuum ipſe conficiat Antidyſentericum, & in cura dyſenteriæ cereviſiam tanqvam venenum fugiendam eſſe jubet. Cum tamen ipſe, præterqvam ut dictum, ex cereviſia ſuum conficiat Pharmacum, etiam paulo ante Cereviſiam abſinthio imprægnatam, non ſolum dyſenteriam, ſed & peſtem, petechias & alios morbos contagioſos avertere, urinam movere, humores ſuperfluos conſumere, appetitum excitare proclamet. Si venenum

enum, cur ex eo ſuum conficit Phar-
nacum? qvomodo tam præclaros ef-
ectus edet? At dices, beneficio abſin-
hii id fieri. Abſinthium junge aliis
enenis, ac vide an vim eorum retun-
ere valeat, eaq; in medicamenta ſa-
ubria convertere. Cum igitur ex iis
x qvibus conficitur & elaboratur ce-
eviſia, eorumq; viribus & proprieta-
ibus conſtet, potum eſſe ſaluberri-
num & huic morbo appropriatum,
aq; in hoc morbo ſummo cum com-
nodo uſi ſint Medici Rationales, in ſuis
harmacis utatur ipſe Empiricus, e-
usq; vires ad præcavendum laudet,
elirare eum arbitror qvando ejus
ſum veneno confert, & in hoc mor-
o absq; ratione improbat. Tanti
iri de Empirica Dyſenteriæ cura qvis
on æſtimet judicium Hippocrate di-
num. De ipſo remedii genere non-
ulla libavi in *Hiſtoriis Rarioribus*.
Qvidqvid de eo ſentiendum ſit, pere-
rina certè, qvæ immiſcentur, exire

jubentur. Qvid verò vicem nucis myriſticæ implere poſſit, *Pharmacopœa Danica* demonſtrabit.

Peſtilentiæ in pratis noſtris ſylvisq; adverſantur: Abrotanum. Acorus. Allium. Anagallis. Angelica. Chærefolium. Cepa. Carduus Benedictus. Calendula. Caſtoreum. Eryngium. Fraxinus. Gentiana Norvegica. Hedera terreſtris. Helenium. Juniperi lignum & baccæ. Leviſticum. Morſus diaboli. Petaſites. Pulſatilla. Olznicium. Rubus idæus. Ruta. Scorzonera noſtra. Scordium. Tormentilla. Valeriana. Vincetoxicum. Veronica. Prætermiſiſſem ferè ubiq; in campis obvium millefolium, cujus ſingularem effectum in peſte Hafnienſi expertus eſt *Henricus Paſchaſius*, ſicut teſtatur l. de Peſte c. 5. part. 1. pag. 30. hac forma: R. Fl. millefol. m. ſ. Coq. in cereviſ. Unc. IV. poſt fortem expreſſionem fit hauſtus, qvi jejuno ſtomacho evacuatus calidè, in lecto cooperto provocat ſudorem in peſte.

Elixir

lixir peſtilẽtiale *Tychonis Brahei* Atlan-
is Danici in *Ciſta Medica* exhibuimus,& nicornu noſtrum Grónlandicum in eſte Leidenſi à *Kypero*, Medico Clariſſimo, multorum commodo expertum n *Epiſtol. Medicinal.* non ita pridem etulimus.

Phthiſi utilia: Chelidonium maus. Hyſſopus. Hedera terreſtris. Hypeicon. Lac. Liqviritia. Papaver. Roſa. ymphytum. Tuſſillago. Veronica, Viola.

Pleuritidis remedia laudantur: Alhæa. Carduus Benedictus. Carduus Mariæ. Chamomelum. Conſolida. Cuumis. Cucurbita. Hedera terreſtris. Iordeum. Nucis parvæ tunica. Papaer errat. Pulmonaria. Viola Martia.

Somnum conciliant: Anethum. Hyoſcyamus. Lactuca. Matricaria. Nymphæa. Papaver. Salicis folia.

Tusſim expectorant: Altheæ radites. Eryſimum. Glycyrrhiza. Hedera errestris. Hyſſopus. Cariophyllata.

Lappa major. Mel. Meliſſa. Marrubium. Poma dulcia. Pulmonaria. Pyra dulcia. Rapum. Scabioſa. Scordium. Veronica. Viola martia. Viola tricolor. Urtica.

Variolas expellunt: Aqvilegia. Carduus Benedictus. Fœniculi ſemen. Fraxinus. Napus. Naſturtium hortenſ. Sambucus. Unicornu, qvo ſolo in aq. ſambuci, vel mulſa uſus ſum nuperrimè, cum omnes filii filiæq; decumberent. In Islandia noſtra Variolæ anno qvovis vigeſimo recurrente graſſantur, & certa eſt incolarum perſvaſio, ſicut mihi fidem Islandi fecerunt, nullos, qvi eo anno, qvo epidemiæ ſunt, variolis non inficiuntur, attingere proximum annum vigeſimum, nec ſuperſtites eſſe poſſe ad proximè recurrentem variolarum terminum. Vel ſingulare hoc erit exanthematum genus cœlo Islandico proprium, vel in gentis hujus occultâ proprietate aliqvid latet, qvod per variolas inqvilinas expurgari debet. Transplantatione in

ſe curatas mulier ruſtica mihi narvit. Toralio enim involutam mater ſuilli calido repoſuit, indeq; reſumam, abjecto toralio, lecto commiſit. præter calorem haræ aliqvid ad exathemata conferunt porci, mirum on eſt, qvod lepræ remedium pellis ſangvis ſuillus ſubminiſtret.

Ne in externis morbis aliis curans deficere medicinam domeſticam ſpicemur, pro patria cauſam dictuis, uno alterove exemplo Chirurgis voqve campum ſupereſſe monſtrabo n qvo artem exerceant: *Ambuſta* enim urant: Cepa. Cynogloſſa. Filicis raix. Hypericon. Lappa. Lilium album. etroſelinum. Sempervivum. *Perniones & Tumores* nuper medicinam inveerunt. *Ulcera antiqva* procurantur: bſinthio. Aqva marina. Farina filicis. uglandis foliis. Liguſtro. Raphano majore. Rubo. Scordio. &c. *maligna* xpiantur: Alliaria. Petaſite. Aliisq; væ repeti poſſunt ex *M. A. Severini*

 Chi-

Chirurgia Trimembri, & *Aqvapendente*. Conſolidant vulnera: Alchimilla. Agrimonia. Althæa. Angelica. Braſſica. Becabunga. Betonica. Brunella. Bugula. Burſa Paſtoris. Centaurium minus. Chamepitis. Chryſanthemum latifolium. Digitalis. Eqviſetum. Hepatica. Herniaria. Hypericon. Lil. album. Lamina. Lichen. Lupulus. Hedera terreſtris. Meliſſa. Nicotiana femina. Pentaphyllum. Perſicaria. Plantago. Polygonatum. Pyrola. Qvercus folia. Regina prati. Sanicula. Serratula. Scordium. Symphytum. Thalictrum. Tormentilla. Verbena. Veronica. Virga aurea. Ulmi cortex. Unifolium. Unguentum polychreſtum confecit Torchillus qvidam Cimber, qvod Unguentum Torchillianum vocatur, creberrimi inter vulgus noſtrum & Chirurgos etiam uſus, cujus deſcriptionem in *Hiſtoriis Rarioribus* dedimus. Vulneraria uſitatiora ruſticorum ſunt; Millefolium cum lardo minutim conciſo,

Beca-

ecabunga cum ſale & telis aranea-
m, oleum ovorum, mel cum farina
iginis &c. Ad membra laſſata vel
ſa, Cataplasma ruſticorum deſcribit
mon Paulli Floræ amor in Flora Da-
ca, ex trifolii pratenſis foliis, floribus,
ſeminbus in aqva fontana vel cere-
ſia veteri coctis, addito butyro veteri
ncido. Ad qvemcunq; caſum nihil
æſtantius noſtri norunt, qvam ſper-
a Ceti, in veteri cereviſia diſſolutum,
auſtumq;. Nec ſpe fruſtrabuntur qvi-
nq; nobile illud remedium in uſum
caverint. Sicco pede præterire non
oſſum inſigne Cataplasma vulnera-
um, contra qvemvis ictum, qvo uſus
t CHRISTIANUS II. Rex Daniæ
felix, unà cum ſeqventi Balſamo &
lvere, qvæ omnia in Libris ejus Me-
cinalibus poſt mortem eſſe inventa,
ſtatur *Henricus Ranzovius* de Conſerv.
alet. c. 38.

R. Ceræ Uncias tres cum ſemiſſe.
olophoniæ ſeu picis Græcæ, ſeu no-

ſtræ, Axungiæ thymalli, mumiæ, ana ſesqviunciam. Myrrhæ Unciam unam. Minii unciam dimidiam. Corallorum alborum drachmas tres. Magnetis unciam unam. Ceram una cum Colophonia primum diſſolvi facito, deinde mumiam adjice, poſtea axungiam. Hæc ad lentum ignem collocato & probe verſato. Deinde reliqvis qvoq; prædictis ſpeciebus immiſſis ad lentum ignem pauliſper ſtare ſinito, probe freqventerq; moveto, ſæpe etiam periculum facito, num ſatis ſit decoctum, & in fundo ſubſidere incipiat. Stilla ex alto guttulas aliqvas ex calida ſpatula in frigidam. Qvod ſi illud infrigidari & ſpatulæ adhæreſcere ſenſeris, ab igne removeto, tamq; diu verſato, donec ſua ſponte ſit frigefactum, & in ſolidam coëat maſſam, ne ſeqventia tria gummi in eo adurantur. Adde inſuper thuris & maſtiches ana Unciam unam, Camphoræ ſesqviunciam; & in olla tam diu moveto, ut infrigidatum duritiem

m contrahat, & manibus tractari
dictoq; adipe ſubigi poſſit. Mo-
dum verò minus ex arte Cataplas-
vocari, qvum Ceratum ſit. Tech-
a hæc vocabula accuratius Medici
ingvunt qvam Politici. Peregrina
nulla immiſcentur, qvorum lo-
n ſupplere alia noſtra poſſent pari
cacia, myrrhæ, ſuccinum album
ſarcocolla: Colophoniæ, pix no-
, thymalli axungiæ, ſevum cervi-
n, vel lucii axungia. Reliqva vel
eptentrione proveniunt, vel abeſſe
ſunt. Corallorum enim alborum
entes cumuli ex Norwegia ad nos
eruntur, tam ſtellatorum qvam fi-
oſorum. Idem de magnete dictum
a. Et mumiam noſtri conficere
ſunt.

Pretioſum oleum Balſaminum,
qvod inſtillari poteſt vulneribus, qvæ
n capiti, ſed alioqvi corporis parti-
ſunt inflicta. R. Olei roſati Unci-
novem. Rebaræ minutim con-

tuſæ

tuſæ Unc. ſex. Hæc firmiter contecta in ampulla ſive lagena ſtannea per tres dies ſtare facito. Deinde lagenam unà cum prædictis in balneum Mariæ immittito, & ad horæ medietatem probe bullire ſinito. Poſtea in lagenam injice maſtiches ſubtiliter contuſi drachm. vj. item thuris, bdellii, opoponacis, camphoræ, ana Unciam dimidiam, poſtea illud oleum per mundum panniculum laneum excolato, ita ut omnis virtus prædictarum ſpecierum inde exprimatur. Qvid Rebara ſit, non ſatis liqvet, qvæ contundi debet. Cæteris gummatis noſtræ reſinæ ſurrogentur, vel alia ejusdem virtutis.

Ratio conficiendi pulveris utilis contra diſſectionem nervi alicujus qvi à Chirurgo eſt conglutinandus. R. Oculos cancri, in ſubtiliſſimum pulverem comminutos in parvo linteolo. Hunc pulverem nervis inſperge, & ſiccis faſciis ex linteolo confectis, locum obliga, ne humiditas aliqva ad nervos penetrare

rare poſſit. Hanc ligaturam per ſpa-
n 24. horarum intactam relinqvi-
Elapſo prædicto temporis ſpatio,
rurgus nervum inſpiciat, ipſiusqve
glutinationem exploret, & dein-
s vulnus illud calidis vinculis deli-
inſtar alterius vulneris recentis, &
t diem unum aut alterum ligatu-
n diſſolvat. Vulgi noſtri experimen-
n penè omiſiſſem ad *Apoſtemata* ma-
anda, qvod ex Medicorum fonte
xit. Farinam triticeam, cum fru-
o cepæ & melle mixtam calidè a-
lemati imponunt, & mira præſtant.
i braſſicæ folia in ſævo vaccino fre-
umoribus iſtis applicant, & effe-
m brevi promittunt.

Utriqve ſexui ita benigna Natura
ens in patria proſpexit. Peculiari
rò cura ſeqviorem ſexum proſeqvi-
, qvia poſteritatis negotium pro-
ovetur. Habet mulier organa ſin-
laria & actiones diverſas, qvibus
olis generationi & nutritioni conſu-
litur.

litur. Ex utero qvoq; & mammis infinitis morborum generibus miſerè elegantiſſima femina affligitur, præſertim in ſeptentrione, propter ſaburram ſcorbuticam, qva præ Viris plerumqve ſcatet. Inqvilina in campis hortisqve remedia, mulieribus dicata, ne qvid deſit, pro fine ſignabo. *Lac* augent: Anethum. Fœniculum. Mercurius collo appenſus. Pimpinella. Rapunculus. Petroſelinum. *Lac* minuunt: Abſinthium. Cucurbita. Calamintha. Lactuca. Nymphæa. Origanum. Portulaca. Salvia. Sempervivum. Ungventum populeum. Decoctum cumini in aceto. *Mammarum cancrum* jugulant: Filago. Mercurius. Plumbi lamina. Pulvis bufonis exſiccati. Solanum. Urtica. *Dolorem* leniunt: Chamomelum. Parietaria. Roſa. Senecio. Panis. Unifolium. *Tumorem* diſſipant: Lomentum fabarum &c. ex *lacte coagulato* ortum disſolvunt: Altheæ radices. Alſine. Farina fabarum. Avena. Butyrum. Mentha.

a. Paludapium. Petroſelinum. Ruta.
aminum in aceto cereviſiæ cocta vel
ca. Mulieres noſtræ ſolo ſmegmate
s brachii ungentes lac ex mammis
igunt. *Menſes fluentes* cohibent; Al-
imilla. Anthera roſar. Argentina.
rotanum fem. Burſa paſtoris. Biſtor-
. Chærefolium. Filago. Lamium. Ly-
machia. Lupulus. Plantago. Pruna ſyl-
ſtria. Qvercus, muſcus & calices
usdem. Qvinqvefolium. Tormentil-
, Symphytum &c. *Menſes obſtructos*
rovocant: Ariſtolochia rotunda. Ar-
miſia. Aſparagus. Angelica. Bellis
ortenſis arida, ſecretum *Prævotii* in
ed. Paup. Cattaria. Calamintha.
entaurium minus. Cepa. Conyza.
otyla fœtida. Juglandes nuces. Ori-
anum. Daucus. Eryngium. Juniperi
accæ. Hedera. Leviſticum. Majora-
a. Marrubium. Matricaria. Meliſſa.
etaſites. Pimpinella. Pulegium. Saxi-
aga alba. Senecionis folia deorſum
vulſa. Serpillum. Thymus. Urticæ ſe-
men.

men. *Partum difficilem* facilitant: Baſilicum ſeu Ocymum, qvam ideo herbam parturientium vocat *Simon Paulli* in Flora Danica. Cardiaca. Lavendula. Liliorum alb. ſtamina. Lithoſpermum. Pulegium. Cochleæ in cibo ſumptæ. Oleum ſuccini. Angvillæ jecur in furno exſiccatum, *Panaroli* experientiâ Pent. 3. Obſ. 21. Teſticuli eqvi caſtrati, qvos exſiccatos profuiſſe obſervavimꝰ. Pro compertiſſima etiã medicina, narrante *Olao Magno* l. 18. c. 6. feminæ ſeptentrionales pituræ habẽt, qvod qvantitate unius avellanæ nucis Caſtorei cum Cereviſia pota, mirè alleviet parturientẽ. *Utero* præter ſuperiora, inſerviunt: Artemiſia. Cardiaca. Carduus Mariæ. Chamomelum. Daucus. Hedera terreſtris. Matricaria. Portulaca. Salvia. De *Uteri ſuffocatione* pleni ſunt authorum libri. Priapum Cervi pro ſecreto accepi, & ægris hujusmodi communicavi. *Uteri* deniq; *prolapſum* corrigunt: Angelica. Branca Urſina. Radix cava. Modum alii edoceant. Nos enim huc prolapſi pedem retrahimus, patriæ amantibus ægrisqve ſolatium Stoici commendantes, inter voluptates eſſe, ſupereſſe qvod in patria ſperent.

TH.

TH. BARTHOLINI
De
Pharmacopœa Danica,

DISSERTATIO QVINTA.

ARtem Pharmaceuticam, ſive ſim-
plicia medicamenta intra patriæ
fines nata in varias Compoſitiones
ve ut complicatis affectibus medean-
r, ſive ut efficacius vires ſuas exſe-
nt, ſive ut palato gratiores ſint, ſive
eniqve ut ad uſus deſideratos ſerven-
r, redigendi ſcientiam, etiam vul-
us noſtrum callet ſine ope Pharmaco-
œi. Benè id factum & opportune, ut
ntâ Naturæ indulgentiâ, commodè
ivis utatur remotus ab officinis &
armacopolarum magiſtris, qvod ge-
us hominum oneri magis ſæpe vi-

dentur ægris, qvam uſui. Gulæ enim medicinam & pompæ accommodant; thecasq; inaniunt ut crumenæ, ægrorum ſudore & pecuniâ, impleantur. Juſta conqverendi cauſa eſt, qvippe pomposi iſti artifices vix pedem in aulas, in urbes intulerunt noſtras, qvin legibus eſſent coërcendi & intra limites officii compellendi. Fronti enim nonnullorum nulla fides. Ex Medicorum ſervis, ſe Dominos nimia arrogantia extulerunt, & nonnunqvam falſas merces officinis intulerunt, modò falsâ operâ Medicorum formulas & felicitatem eluſerunt, modò veris mercibus intolerabile pretium impoſuerunt; alii ægrorum curationibus dediti, ſpretis Medicis, officiiq; immemores, ſumma ſpirare, ut ante cum flammis aqvæ, cum morte vita, cum mari ventus fidem fœdusq; jungant, qvam ingenium moresq; deponant. In Gallia faſtum illorum Medici Pariſienſes non ſemel repreſſerunt. Unde

Doctis-

Doctisſimus Medicus *Philebertus Guybertus*, Medicinam Charitativam conſcripſit, docuitq́; populares ſuos Gallos domeſtica medicamenta ſine ope Pharmacopœorum conficere. Et non ita pridem Vir magni nominis, magnæq́; eruditionis & eloqventiæ *Guido Patinus*, Medicus Profeſſor Pariſienſis, totus noſter, in publico Parlamento cauſam Medicorum contra eosdem ſplendidè peroravit, & ad obſeqvium reduxit. In Italia qvanqvam modeſtius ſe gerant, multum tamen illorum qvæſtui deceſſit editâ Medicina Pauperum Clariſſimi *Jo. Prævotii* Patavini Medici, qva id egit author ut medicamenta facile parabilia traderet, qvibus ubicunq; terrarum & absq; pharmacopœi opera qvodlibet ægritudinum genus perſanari poſſit. Patria noſtra univerſa, vix unam vel alteram officinam patrum noſtrorum memoria admiſit, & hac paucitate non parum ſibi viſa eſt gratulari. Noſtro hoc ſeculo, ſicut nu-
 merus

merus ſeplaſiariorum auctus, ita, qvia domeſtica medicina inter cives exolevit, excrevit Collegium Pharmaceuticum. Urbs Regia nuper binos tantum immunitate Regia donatos aluit, mox tertium adſcivit, deniq; qvartum, qvorum unus ad incitas redactus ternarii numeri perfectionem cæteris reliqvit. In reliqvis amplisſimi Regni civitatibus, ſeptem in univerſum officinas invenimus, ubi olim nullæ. Forſan feliciores adhuc eſſent & ipſæ & officinæ, ſi aliqvando deſiderarentur. Nam pleriq; cum ſplendida miſeria colluctantur, nec ad victum ſuggereret officina niſi vel aromata, vinumqve vel aqvæ vitæ & Nicotianæ pulvis, alijve urbani qvæſtus & agricultura in ſubſidium laboranti magiſtro advocarentur. Hinc freqventia cum civibus litigia, de falce in ſuam meſſem miſſa qverentibus. Nuper ex mandato Regio litem iſtam decidere Medici qvidam noſtri tenebantur inter Pharmacopolam Viburgen-

genſem & ejusdem civitatis inſtitorem pigmentarium, ut decerneretur qvid Pharmacopœo conceſſum ſit vendere, & qvid materialiſtæ, qvem ita vocamus, relinqvendum. Sententiæ hujus ſummam ſubjungere placet in gratiam curioſi lectoris:

Qvandoqvidem Sereniſs. Regia Majeſtas nobis clementisſimè in mandatis dedit, ut ſubjectiſſimam Deciſionem extraderemus in lite illa, qvæ eſt inter Joh. Chriſtoph. Creutzaver, Doctorem & Pharmacopœum Viburgenſem, & alios Doctores, mercatores, & Chirurgos: primò qvid ad benè conſtitutam officinam pharmaceuticam reqviratur, & verſa vice qvid mercatori permiſſum ſit in hujusmodi locis vendere, ſine damno pharmacopolii privilegio muniti & benè conſtituti: Deinde, qvid in illo loco, ubi privilegio gaudet pharmacopolium, alii Doctores & Chirurgi in ædibus ſuis preparare poſſint & vendere: Hinc ex

multarum urbium præjudicatis ſtatuimus. I. Qvod mercatoribus nihil permiſſum ſit in tabernis ſuis habere aut vendere, præter album & cœruleum amylum, lignum Braſilianum, Ochrã, molybdænam, alumen, triplam, ſulphur, amygdala dulcia, ſaccharum, cinnamomum, zinziber, piper, caryophyllos, nucem moſchatam, macem, crocum, cardamomum, baccas Juniperi & lauri, ſed nulla condita vel Confecturas, ſi pharmacopolium immunitatibus ſuis gaudere & perſiſtere debeat, nec prorſus peſſum ire; liberum tamen qvoq; ſit pharmacopolæ has ſpecies vendere, æqvè ac civibus. II. Qvod attinet ad Medicos Practicos & Chirurgos, jure illis permiſſum non ſit officinis pharmaceuticis privilegio inſtructis qvicqvam detrimenti afferre, ſed potius auxilio ſuccurrant, & omni conatu adjuvent, ut ſalvæ eſſe poſſint, ut ſemper recentia medicamenta ſimplicia in pharmacopolio inveniantur,

ne

e compoſita nimis inveteraſcant, ut Medici Practici monſtrare qveant uniuſq; in præſcriptis ſuis ſchedulis, tanqvam publicis teſtimoniis, qvomodo curationes ſuas methodicè perfecerint. Sed ſi Medicus experimentum habeat vel proprium vel ab aliis Doctis communicatum, poterit illud ipſe præparare, officinæ concredere, & pro uſu ægrotorum ſuorum præſcribere.

Non contentus tamen hac deciſione mercator, poſt paulo alia Medicæ Facultatis ſententia obtinuit qvoq; Confectiones & Condita, qvæ in conviviis apponi ſolent, nec in ægrorum uſum divenduntur, cujus reſcripti formulam hic addere opus non eſt, qvia ad rem non pertinet, qvam tractamus. De Pharmacopœis noſtris nobis ortus ſermo, qvi qvanqvam perpauci numero ſint, freqventer tamen qverelarum anſam Medicis ſubminiſtrant, qvod profeſſionem egrediantur, & protervè ſe non ſemel contra

Medicos, qvibus obſeqvium debent, gerant. Qvibus qverelis non pauca Edicta Regia oppoſuit glorioſæ memoriæ Rex, Divus CHRISTIANUS IV. in Ciſta Medica à nobis adducta. At qvia nihil hactenus profecimus, ne noſtra culpa apud poſteritatem malè audiremus, communi Facultatis noſtræ conſenſu Conſtitutiones qvasdam conſignavimus, qvibus & Pharmacopœi, & alii medicinam factitantes officii admonentur, qvarum confirmationem à Sereniſſimo Rege noſtro ſubjectiſſimè expectamus. Si grave non eſt Lectori eas legiſſe, grave non ducam illas hic ſubnectere:

I Nemini medicam praxin vel in urbe Hafnienſi, vel alibi in Regnis Daniæ & Norvegiæ exercere vel pro Doctore Medico ſe profiteri permiſſum eſto, anteqvam ſe ſtiterit Decano & Facultati Medicæ in Academia Hafnienſi, oſtenderitq; teſtimonia promotionis legitimæ, documenta certa unde vene-

nerit, & qva laude alibi vixerit, ſiq;
ceſſarium fuerit, nova eruditionis
dicæ ſpecimina hic ediderit. Non
entur tamen hac conſtitutione,
vel à Sereniſs. Reg. Maj. ad Archia-
vel Aulici munus vocantur, vel in
ademia Regia Hafnienſi laurea Do-
rali decorati ſunt.

II. Nemo inqvilinus inpoſterum
dum Doctoris alibi qvam in Aca-
nia Hafnienſi ambiat, qviq; dein-
os in exteris regionibus lauream
petraverint, ſiſtant ſe tamen Facul-
i Medicæ, & ex Decani præſcripto,
opus, de Medica ſua eruditione dato
cimine teſtentur, ſi vel in patria
tunam ſuam voluerint experiri, vel
Doctorum aliorum immunitates
mitti.

III. Et ne qvis impenſas cauſari
ſſit, conſtitutum ſit juſtum pretium,
mmam XL vel L Imperialium non
cedens, in promotionibus Docto-
m in Collegio Superiori impenden-

 dum

dum, in gratiam illorum, qvi vel no-lunt vel non poſſunt propter impenſas, in Templo Cathedrali titulo Doctoris ornari.

IV. Medici ad unum omnes, qvi pro legitimè approbatis haberi volunt, in matriculam Facultatis Medicæ à Decano referantur, cum loco & tempore promotionis, cujus inſcriptionis teſtimonium ab eodem conſignetur.

V. Si in Provinciis vel aliis civitatibus Provinciarum, Medicus expetatur, is à Facultate Medica approbetur.

VI. Nulli permiſſum ſit ægrotis medicinam internè exhibere, niſi ſolis promotis & à Facultate Medica approbatis Medicis. Reliqvi, Pharmacopœi, Barbitonſores, Deſtillatores, Ocularii, Herniarum Sectores, Circumforanei, & Empirici qvocunq; nomine veniant vel ſexu, penitus hinc manus abſtineant, præter vulnerarias potiones contra caſum, puncturas, vel vulnera Chi-

rurgis

is conceſſas; in his tamen aliisq; ...us periculoſis, conſulendus eſt ...icus approbatus.

VII. Facultas Medica provideat ...Pharmaceuticæ officinæ in urbe ...nienſi ſemel vel bis qvotannis mi...num viſitentur, inutilia ibidem ſine ...a eliminentur, curetq; ut officinæ ...ſpeciebus inſtruantur, qvæ pro ...e reqviruntur.

VIII. Eadem cura & authoritas ...liorum Medicorum approbato...in aliis civitatibus Regni, & ubi ...licus præſens nullus eſt, proximus ...is Pharmacopolii inſpectionem ...eat.

IX. Eadem Facultas Medica ab ...nibus Pharmacopœis viventibus & ...hac venturis, juramentum exigat, ...cano conceptum, qvi nomina illo... deinde in matricula inſcribat. ...n & alii Medici aliarum civitatum ...ant, & Decano transmittant.

X. De-

X. Decanus & Facultas Medica cum Chirurgo Seniore omnes Chirurgiæ candidatos examinent anteqvam in ſocietatem Chirurgorum recipiantur, aut poteſtas illis fiat exercendi artem Chirurgicam, ut exploretur an eos in Chirurgia & Anatomia fecerint profectus, ut tutò illis artis concedi poſſit exercitium.

XI. Curæ qvoq; ſit Facultati Medicæ, ut urbi proſpiciatur de bonis & peritis Obſtetricibus; hinc qvæcunq; mulier artem obſtetricandi exercere voluerit, prius conveniat Decanum, ut hic cum Facultate Medica & Obſtetrice ſeniore expiſcetur an idonea ſit ad opus ſuſcipiendum, cujus ſcientiæ ſuæ teſtimonium à Decano petat, anteqvam coram Magiſtratu urbano juramentum deponat.

XII. Bini Viſitatores ordinarii deligantur ſingulis annis à Facultate Medica, qvi ſæpe & ex improviſo officinas inviſant Pharmaceuticas, & de

aliis

iis rem hanc concernentibus diligenter per vices proſpiciant, ut cuncta : Regiis ſtatutis procedant. Occurrentes errores inſignes, vel peregrinas ormulas medicamentorum forte deehenſas ſecum ad Decanum ſtatim eferant, ut ille convocata Facultate iſce remedium inveniat, ut & Pharacopola & talium errorum authos pro meritis puniantur.

XIII. Graſſante peſtilentia vel iis morbis contagioſis, qvia Medici bſtricti non ſunt ad ægros inviſendos, iſi ad id perſvaderi poſſint vel per ſtiendium obligari, in officinis pharmaeuticis præſcribant curam & remedia um juſto precio, ut etiam ſine Medio vulgus ſibi qveat proſpicere.

XIV. In remediis Chymicis vel edicamentis generoſioribus præſcriendis, à ſignis Chymicorum abſtineat Medicus, ſed formulas ſuas integris erbis ſcribat, ut apud Pharmacopolas rror, & apud ægros damnum præcaeatur.

XV. Per-

XV. Perpetuum ſit Medicorum omnium approbatorum intra & extra mœnia degentium cum Decano vel literarum vel colloqvii commercium, qvo qvater minimum in anno indicetur qvicqvid notatu dignum occurrit in Re Medica vel naturali, ut in Actis Facultatis referatur.

XVI. Medici pro cura, inſpectione & viſitatione officinarum id præmii referant, ut viliori precio ex Pharmacopoliis medicamenta habeant in propriis vel uxorum morbis. Pro reliqvis Medicorum curationibus omnes honeſtatis amantes ægri tam gratos ſe ſua ſponte monſtrabunt, ut Medici æqvitatis qvoq; amantes ſint contenti. Sin aliter utrinq; eveniat, omnes ſervare convenit Edictum CHRISTIANI IV. glorioſæ memoriæ Regis promulgatum X. Jan. 1619.

XVII. Pharmacopœi Medicis omnibus hujus Facultatis & approbatis ſint obſeqventes, omnem ho-

norem

orem illis exhibeant; nullas formu-
s medicamentorum accipiant, præ-
arent vel præparari permittant, niſi
Medico approbato ſcriptas vel ap-
robatas. Miniſtros idoneos condu-
int, eosq; Facultati ſiſtant, cui jura-
ento ſe obſtringant, fideliter & cum
ura facturos officium, ſervaturosq;
vicqvid de Pharmacopœis ſancitum
t. Diſcipuli verò nullas formulas
edicamentorum accipiant, aut præ-
arent, priusqvam anni diſciplinæ ef-
uxerint.

XVIII. Omnes formulæ, qvas
eceptas vocant, in officinis præpa-
ndæ ſubſcribantur à Medico appro-
ato cum die & pro qvo. Et unicuiq;
edico ſua ſchedula remittatur manu
ius Pharmacopœi vel miniſtri ſub-
ripta, qvi medicamentum præpara-
t, idq; finita morbi alicujus curatio-
, vel qvando pretium ab ægro ſolvi-
r, ut hoc modo varii errores præca-
antur. Poteſt tamen ægris copia
ſche-

ſchedulæ concedi, ſi id voluerint. Præterea pyxidi vel chartæ medicamenti nomen inſcribatur, anteqvam ad ægri ædes mittantur, ne ullus error committatur.

XIX. Omnes Pharmacopœi hujus Regni ſeqvantur Diſpenſatorium Hafnienſe, communi Medicorum operâ nuper adornatum & in publicam lucem miſſum A. C. 1658. medicamentaq; ſua tali pretio divendant, qvod Taxa præſcribit ab iisdem Medicis conſignanda.

XX. Pharmacopolæ officinas ſuas inſtruant medicamentis bonis, recentibus, nec adulteratis, patentes ædes habeant nocte dieq;, feſtis diebus æqvè ac profeſtis. Præparationem medicamentorum præſcriptorum non differant, ſed qvamprimum fieri poteſt, ægrotorum neceſſitati inſerviant, inprimis ſi vel acutus & ſubitò invadens ſit morbus, vel in partus difficultate conſtitutæ ſint puerperæ.

XXI. Sim-

XXI. Simplicia colligant & coë-[m]nant opportuno tempore, eaqve in [m]undis & benè clauſis vaſis & pyxidi[b]us cuſtodiant, vel in ſacculis linteis [p]uris ſuſpendant, ut vis illorum meli[u]s conſervetur. Aqvas deſtillatas in [v]itreis vel ſtanneis inſtrumentis deſtil[l]ent.

XXII. Pharmacopœi attractan[t]es vel verſantes medicamenta purgan[t]ia, venena & res alias, qvales ſunt [M]ercurius ſublimatus, præcipitatus, [h]ydrargyrum, antimonium, arſeni[c]um, vitriolum &c. ad id utantur pe[c]uliaribus & propriis vaſis, trutinis, [m]ortariis, ſpathulis, menſis, cribris &c.

XXIII. Nullo Pharmacopœo vel [e]jus miniſtro aut diſcipulo licitum ſit [v]endere ancillis ignotis vel ſuſpectis [q]vibuscunqve, venena aut Pharmaca [p]ericuloſa, pellendis menſibus vel pro[v]ocandis abortibus aliisve damnis in[f]erendis idonea, ideò cuſtodia horum

ſoli Pharmacopœo committenda, qvi rationem reddere poſſit ſi qvid ſecus eveniat.

XXIV. Compoſito uſitato conſumto, admonenda eſt Facultas, ut duo Doctores præſentes eſſe poſſint, qvandò diſpenſatio nova eſt inſtituenda. Iidem Medici annum & diem diſpenſationis manu propria pyxidi vel vaſi inſcribant in rei teſtimonium, & in libro Pharmaceutico notent. Qvæcunq; Compoſita in Pharmacopoliis ſine Medicorum inſcriptione inveniuntur, ut inutilia prorſus rejiciantur.

XXV. Prorſus vetitum ſit Pharmacopolis qvid pro qvo in medicorum formulis ſubſtituere. Sed ſi in formula à Medico præſcripta occurrat ſimplex vel compoſitum, qvo carent, vel aliud qvod non intelligunt, vel de qvo dubitant, indicari id debet Medico præſcribenti, ut is ipſe aliud ſubſtituat, & formulam ſuam explicet.

XXVI. Sine Medici approbati con-

:onſenſu nullus Chirurgus venam æ-
;ro ſecet in morbis gravibus. Nec
ermiſſum ſit Balneatoribus in ſimili-
us morbis cucurbitulas affigere vel
lia conſilia dare, ſine Medici volunta-
e. Nec obſtetrices auſint puerperis
liisve mulieribus qvidqvam exhibere
Medico inconſulto.

XXVII. Herniarum Sectores, li-
hotomi, ocularii abſtineant à ſectione
erniæ vel calculi, & à depoſitione ca-
aractæ, aliisqve oculorum affectibus
gravioribus, donec æger à Medico ap-
robato fuerit medicamentis internè
ræparatus, qvi idem Medicus deinde
n operatione ſit præſens, reliqvamq;
urationem dirigat.

XXVIII. Interdictum prorſus ſit
Circumforaneis vel Empiricis cujus-
unq; nominis, merces ſuas ſeu publi-
è ſeu privatim vendere, aut qvid-
qvam ægrotis communicare.

XXIX. Qvicunqve deprehenſus
uerit in has Conſtitutiones peccare,

N 2 mul-

mulctetur ſingulis vicibus centum Thaleris Imperialibus, & præterea Pharmacopolæ, Chirurgi, & alii amittent jus Collegii ſui vel officinæ, niſi id à Ser. Reg. Maj. poſtliminio ſubjectiſſimè recuperaverint: alii circumforanei hujusqve farinæ homines, qvi id agunt, qvod ad illos non pertinet, amiſſione omnium mercium, qvas penes ſe habent, puniantur, & urbe & Provincia excedere actutum jubeantur.

XXX. Qvicqvid collectum fuerit ex Inſcriptionibus, Conſultationibus, teſtimoniis, mulctis & mercibus empiricorum, partim dividatur inter Medicos Facultatis approbatos Hafnienſes, partim cedat in uſus Pharmacopolii ægrotorum pauperum & vulneratorum. Subſcripſerunt:

Thomas Bartholinus Decanus.
Simon Paulli D.
Chriſtianus Fabricius D.
Paulus Moth D.

Simon

Chriſtianus Oſtenfeld D.
Aſſverus Payngk D.
Erasmius Bartholinus D.
Henricus à Móinichen D.

In gratiam Pharmaçopœorum has Conſtitutiones afferre volui, de qvibus plura non addo. Id tantum argumenti, in qvo verſamur, ratio poſtulat, ut, qvia domeſticam medicinam patriæ commendamus, Pharmacopœos externis medicamentis & guloſis aromatibus ſuperbos, exeſſe ex villa jubeamus, qvibus tam commodè carere poſſumus, quam peregrinis cocis. Qvemadmodum enim naturæ ſanæ convenientia fercula ex inqvilinis alimentis coci noſtri domeſtici & coqvere & condire norunt; ita & laboranti remedia extra officinas Pharmaceuticas qvilibet domi conficere poteſt ex medicamentis in patria provenientibus. Nec ullam peregrinorum Pharmacopœorum neceſſitatem video, niſi pro peregrinis, qvi forte urbes no-

ſtras pertranſeuntes, qvia familiam ſecum non vehunt, nec apparatum domeſticum, Pharmacopolio nonnunqvam indigent qvando ægrotant, ſicut hoſpitio, qvando vel cubandi vel edendi voluptas ſubit. Pharmacopœorum officium in colligendis herbis verſatur, & medicamentis ſimplicibus, in eorundem mixtione & præparatione, & in enematis injiciendis. Vulgus noſtrum ſine magnificis iſtis miniſtris, ſingula exſeqvitur. Herbas juſto tempore colligit, ſed inqvilinas & paſſim obvias, qvas nobis ſufficere, niſi fallor, pronuper probavimus. Et niſi hoc miniſterio ipſi Pharmacopolæ uterentur, malè officinis ſuis proſpicerent. Nam ex mulierculis colonorum collectas herbas & radices emunt, ut operæ parcant, & ex aliorum labore ſibi lucrum faciant. Has emptas peregrinis nonnunqvam ſubſtituunt, vel obſoletis vel dubiis vel pretio gravibus. Enemata injiciunt Pharmacopolæ noſtris

mori-

ioribus, qvod in Gallia barbitonſo-
es. Qvod remedii genus ſine illis
commodè ſuccedit, qvia & illi ad ſo-
os mares admittuntur. Poſſunt enim
eſicæ vel ſyringæ ita confici, ut ſibi
visqve ea adaptet. Tale inſtrumen-
im ex veſica *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 78.
epingit, deſcribitqve, & in Gallia ex
anno uſitatum, Angliq; ex corio con-
orto conficiunt. In urbe noſtra mu-
eres conductitiæ ſunt, qvæ prompta
exteritate feminis inſerviunt. Ut mi-
ari cogar Pharmacopœi nuperas
verelas, qvi offenſus Programmate
Medici Magni, qvo Pharmacopœos of-
cii monuerat, & ad Enemata remiſe-
at, me acceſſit & ſervorum ſuorum
onſilium commendavit, qvi ſe iſto
nematum munere abdicaturos mina-
bantur, qvod non vacaret illis & ſor-
lido officio ulterius defungi, & malè
apropter audire. Ego rem ad colle-
gas Facultatis relaturum promiſi,
qvamprimum poſtulatum inſolitum

 ſcripto

ſcripto conſignaſſent, qvod fruſtra hactenus expectavi. Teſtantur ſancta fide ægri, leviorem mulierculæ eſſe manum & blandiorē, qvæ ad enemata passim in urbe vocatur, qvam cujuscunq; Pharmacopœi, ut hoc artificio tantopere gloriari non debeant, qvo digni aſtris videantur. Ipſam medicamentorum præparationem qvod attinet, doleo ſortem ægrorum, qvi pro aqvis deſtillatis ex pharmacopoliis non rarò aqvas fontanas magno pretio emunt, & alios non paucos errores ſuo exitio expiant, de qvibus nihil jam dicam, qvia revocor ad inceptum, ut probem ſine pharmacopœo vulgus noſtrum ſibi poſſe proficua medicamenta ex inqvilinis herbis conficere, & in varias formas transmutare. Qvædam enim exſiccant, ut uſu poſtulante vel in pulverem conterantur, vel in decoctis coqvantur, vel ad balnea adhibeantur. Alia per Alembicum, qvo Spiritus Vini extrahitur, in aqvas deſtillant. Hujus

verò

 erò defectum ſupplent ollæ, qvibus
er deſcenſum ex herbis conciſis aqvæ
iciuntur. Modum vulgarem vulgus
oſtrum docuit *Johannes Bloch* in Hor-
cultura Danica Cap. 22. part. 3. ut no-
is qvoq; artem deſtillatoriam inno-
iſſe pateat, qvi etiam modus apud
ulieres noſtras freqvens eſt in aqvà
ſarum, liliorum alborum, ſambuci
c. deſtillanda. Nonnulla virentia
ntundunt, ut vel ſuccos expreſſos
l reſiduas herbas pro uſu habeant.
fundunt alia in cereviſia vel aqvis
propriatis, præſertim antiſcorbutica.
ecoqvunt plura. Miſcent alia buty-
, adipibus, melli, aqvis, ſuccis. Non
uca in pultem redigunt, in cataplas-
ata, additaq; cera in formam empla-
i. Oleoſus humor ex aliis coctura
ſtillat. Syrupi conficiuntur cum mel-
& Electuaria ſine melle aut ſaccha-
. In cineres alia reſolvuntur, inde
ivia & ſalia, qvæ ne chymiæ magi-
is ſolis adjudicemus, ruſtici interce-

dunt, qvi ex alga marina ſal in uſum ciborum conficiunt, eodemq; modo ſalia extrahere poſſent ex aliis vegetabilibus, ſi idoneà organa ſubminiſtrarentur. Emulſiones in culinis noſtris fiunt ex ſeminibus frigidis, Condita, Conſervæ, potus medicati ex cerevifia, muſto, mulſa. Suffumigia ex lignis noſtris, ſuccis, herbis, radicibus. Fotus ex lacte, herbis decoctis, animalium excrementis. Amuleta ex ungulis, cornibus, dentibus animalium, lignis & mineralibus. Singula recenſere non vacat, nec opus eſt, qvia guſtum plurimorum dedit *Henricus Smidius* noſtras eumqve ſeqvutus *Nicolaus Michaelius Aalburgius*, qvorum libri lingva populari ſcripti omnium manibus teruntur, ut taceam Floram Danicam magno ſtudio magnaq; eruditione in uſum vulgarem concinnatam à Celeberrimo noſtro *Simone Paulli*. Qvi operoſam medicamentorum compoſitionem averſantur, ſive temporis par-

arſimonia, ſive ignorantia artis, ſæpe mplicis herbæ uſu mira præſtant. Nec deò eos ſibilo dignos cenſeo. Non e-im qvi multa ægris præſcribit, ſed vi utilia, & ægritudini appropriata, ivicam coronam meretur, & Æſcula-ii gallum. Farrago medicamentorum neri eſt ventriculo & crumenæ ægro-um, ſed pharmacopœorum ſplendidas des exſtruit, qvum unius herbulæ is, etiam ruſtico cognita, uni ſimpli-iqve morbo ſufficiat, ſi uſu longo ſit robata. Animadvertimus itaq; ſæpe um *Scribonio* Epiſt. ad Calliſt. inter de-berationes contentionesq; Medico-um authoritate præcellentium, qvos-am humiles qvidem, & alioqvin i-notos, uſu verò peritiores, & (qvod ateri pudet) longè ſummotos à diſci-lina medicinæ, ac ne ad fines qvidem jus profeſſionis, medicamento effica-i dato, protinus velut præſenti numi-e omni dolore periculoqve liberaſſe grum.

De

De Theriaca, qvæ peregrinis medicamentis conſtans pompoſæ ſeplaſiariorum arti fovet, qvid judicandum non reticebo. Hoc enim cardine vertitur ſalus Pharmacopolarum, haud ægrorum. Unde ſine offenſa & injuria horum, dicendum qvod res eſt. Si tanta eſſet Theriaces dignitas, qvanta pompa in conficiendo, nomen æternum tueretur. Talis qvippe ibi apparatus ſimplicium, qvaſi ad Jovis epulas ſpectaret. At ex numero ingredientium qvis æſtimet? Forſan Neronis arbitrio valuit, qvo imperante Andromachus invexit, isq; teſte *Galeno* l. de Ther. ad Piſon. Cretenſis erat natione, Noſtris certè uſibus minus conveniens, qvia ad morſus ſerpentum venenatos primam famam impetravit, qvi nobis non æqvè infenſi, frigidiores enim regiones, *Celſo* annuente l. 5. cap. 26. hac parte ſalubritatem habent, qvod minus terribiles angues edunt. Nec herbæ, qvibus Compoſitio magnifica conſtat,

t, nobis æqvè in promptu adſunt re-
ntes, niſi cum Henrico II. Gallorum
ege Turcarum Imperatorem de me-
camentis & herbario ad Mithridatii
mpoſitionem rogare vellemus, qvod
inus opportunum foret, & laboris
pervacui, qvum noſtra nobis tellus
s herbas ſuggerat, qvæ noſtris magis
orbis & temperamentis conveniunt.
igitur propter nominis & ætatis re-
rentiam, vulgiq; opinionem, ſervan-
ſit Theriaca, ex noſtris ſimplicibus
mponi debet, & in deficientium lo-
m ſuccedanea noſtra ſubſtitui, qvæ
patria naſcuntur. Novum hoc
neriaces fatum non eſt. Tot enim
ctenus ſuccedaneis immutata eſt, ut
x eadem ſit, ſi qvidem Europa careat
ro Opobalſamo, Folio, Cardamo-
o &c. Baſis qvoq; ejus, nempe Tro-
iſci Viperini, ſæpe vel falſi ſunt &
ppoſititii ex carne infumata & pane
nfecti, vel ex noſtris viperis ſuppleri
ſſunt, qvas paſſim habemus ab Eu-
ga-

ganeis Patavinis parum vel nihil diſcrepantes. Miſſæ illæ ad me fuerunt ab Helſingorenſi Pharmacopœo in dumetis ibidem repertæ, qvas tamen admittere auſus non ſum, ne Theriaces excellentiæ qvicqvam apud vulgus decederet. Sæpe neſcios Medicos in luſtratione fallunt Pharmacopolæ vel Pigmentarii, qvos Drogiſtas vocant, qvi Trochiſcos Viperinos vendunt. Ita memini in Diſpenſatione Theriaces repudiatam à nobis fuiſſe Hafniæ atteſtationem Patavinorum Medicorum, qvæ ſubſcriptam habebat manum *Jo. Dominici Salæ*, noſtri olim in Arte Medica Ducis, qvi tribus minimum annis ante fatis conceſſerat. Nuper qvoq; in alio examine pompoſæ hujus Diſpenſationis, aliam fraudem detexerunt Medici noſtri Hafnienſes, & irritum Pharmacopœi apparatum eſſe juſſerunt. Sine medicorum Patavinorum chirographo voluit Medicos acqvieſcere literis Drogiſtæ & rationibus,

qvæ

qvæ tamen tot trochiſcos probare non potuerunt, qvot monſtrabantur. His ſimilibusq; mãgoniis edocti, ſatius eſſe dicamus vel ex patriæ bonis ſubſtitue- re qvæ aliunde petenda ſunt, vel prorſus novam Compoſitionem moliri ex ſu firmatis obviisq;, vel paucioribus acqvieſcere. Certè Conſerva Calendulæ, & Rob Rubi Idæi, vel Samuuci idem præſtabunt contra venena venenatosq; morbos, qvæ Theriaca. Et contra peſtilentiam Elixir peſtilentiale *Tychonis Brahæi* Eqvitis Dani Theriacæ præferendum. Compoſitio pro pauperioribus exſtrui poſſet ex Baccis Juniperi, Sambuci, floribus Calendulæ, ſeminibus, ne Noſocomia emtione peregrinarum herbarum Theriacam ingredientium depauperentur. Theriacam pauperum aliam magnam ex ſolis herbis Italiæ inqvilinis compoſuit *Jo. Ant. Rumaldus*, Medicus Bononienſis eruditus, qvam pro noſtris uroq; eligere poſſumus, excluſis iis qvæ

qvæ ſolum noſtrum cœlumq; ut propria non agnoſcit, v. g. ſeminibus Citri, baccis lauri, amygdalis, ficubus &c. qvæ qvidem in hortis noſtris colimus omnia, ſed aliunde translata & peregrina, ſed civitate noſtra donata, adeoq; tenuioris ſortis hominibus denegata. Paradigma hujus Compoſitionis ex noſtris emendatæ, tale proponam:

R. Rad. Vincetox.	Herb. Sicc. Rut.
Gariophyll.	Puleg.
Paſtinac. Sat.	Menth.
Roſ. Sylveſtr.	Mentaſtr.
Altheæ.	Card. Ben.
Angelicæ noſtr.	Meliſſ.
Ariſtoloch. long. & rot.	Cardiac.
	Verben.
Eryngii vulg.	Scabioſ.
Enulæ.	Herniar.
Iridis.	Hed. terreſtr.
Pimpinell. an.	Agrimon.
Unc. ijſ.	Eupator.

Cha-

Chamædr.
Rut. Caprar.
Anonis.
Cyan.
Marrub. alb.
Salviæ.
Majoran.
Serpill.
Pentaphyll.
Betonic.

Abrotan. mar.
Chamæpit. an.
Unc. jſ.

.Sicc. Roriſmar.
Salviæ.
Calendul.
Horm. Sativ.
Roſ. rubr.
Sambuc.
Nympheæ.
Borag.
Bugloſſ.

Tanacet.
Eupator.
Origan.
Conſol. Reg.
Liguſtr.
Leucoi fl.
Pimpinell.
Hypericon.
Centaur. min.
an. Unc. ſ.

Sem. Mirrhid. vulg.
Naſturt. Sylv.
Petroſel.
Cochlear.
Fumar.
Portulac.
Rutæ.
Irionis.
Ocymi.
Cumin.
Acetoſ.
Fœnicul.
Cardui Bened.

Fraxini. Gland. Qverc.
Thlaſp. noſtr. an. Unc. j.
an. drach. vj. Prun. ſicc. vel Ceraſ.
Bacc. Sambuc. Succ. de Liqvirit.
Juniper. vel mulſ. an. Unc. jſ.
Hederæ. Mells q. ſ.
Nucis Jugland. M. F.
Electuarium.

Trivialia hæc ſunt, obvia qværentibus, in pratis noſtris, campis, ſylvis, hortis, à qvorum uſu & poſſeſſione nemo facilè excluditur niſi per deſidiam, qvæ ſi alios occuparit, ſolo allio, qvod *Galenus* vocat Theriacam ruſticorum, peſtilentiæ à ſe virus depellent. Cæterum qvi ampullas amant, per me licet, modo liqvidò conſtet, fruſtra fieri per multa, qvod per pauciora poteſt. De reliqvis loqvatur *Seneca* Hippol. A. 1. ſ. 2.

Divites
Regnoq; fulti, plura, qvam fas eſt, petunt.
Qvod non poteſt, vult poſſe, qvi nimium poteſt.

At

At verò ne defectum & paupertatem noſtrarum terrarum incuſet Pharmacopœus, peregrinis mercibus onuſtus, oſtendam paucis lineolis, qvæ domi naſcentia ſubſtitui poſſint medicamentis ex oriente & aliis regionibus afferendis, qvorum uſus increbuit in officinis.

Acacia Ægyptiaca qvanqvam in Europæ hortos migraverit, ſufficiens tamen non eſt, nec ita adoleſcit ut in uſum officinarum veniat. Igitur prunus noſter ſylveſtris illius vices gerit. *Alaymus* qvidem ſuccum denſatum ſumach commendat, qvem qvoqve in hortis alimus, at ex hac claſſe excludimus, qvia peregrinis accenſetur. *Acoro* verò ſubſtituitur Pſeudoiris ſeu Acorus adulterinus *Bauhini*. *Aniſi* Semen in hortis qvidem provenit, ſed qvia pauperioribus obvium non eſt, malim fœniculum & anethum, qvibus horti ruſticorum florent, vel cuminum qvod uberrimis totis agris provenit,

 vel

vel ſemen Dauci in uſum vulgarem trahere, etiam feminis amica, qvæ non rarò aniſi dulcedinem averſantur. *Aſſæ fœtidæ* nulla parte cedit Caſtoreum ſi odoris gravitatem ſpectemus, utero inimicam ſi vel naribus apponatur, vel pilulis uterinis admiſceatur. De hoc tamen obſervavi qvasdam mulieres odore ejus juvari, ſed ab aſſumpto lædi, hocq; ipſo momento, qvo hæc meditor, adeſt mulier oppidana hyſterica, curſu defatigata & ſtatione, qvia erecto ſemper eſt corpore metu ſuffocationis, qvod incommodum Caſtoreo adſcribit militis cujusdam conſilio devorato, qvum ante benè valeret ex ſolo odore. Hujus copiam nobis Norvegiæ ſaltus mittunt. Radix coronæ Imperialis aſſæ fœtidæ qvoq; ſubſtitui poteſt, qvam, licet origine peregrinam, horti noſtri familiarem norunt. Præſtat qvidem uſitatis uti, qvemadmodum inſtituti memor rectè monet amicus noſter integerrimus: expedit

pedit tamen & nonnunqvam inſolita
entare & vulgaria ad experientiam
evocare ſi alia deſint, & ſine periculo
iat. Ita in re herbaria, multa rena-
centur qvæ nunc cecidêre, cadentq;
væ ſunt in honore. Pro vulgo para-
ile remedium ad ſuffocationem uteri
orrigunt ungulæ eqvorum, pennæ
nſerinæ & perdicis, & ipſa ubiq; ob-
ia Cotula fœtida, qvam pedibus cal-
amus, præbent, ut de comparanda
ſſa tantis ſumptibus laborandum
on ſit. Pro *baccis lauri*, Juniperinas &
ederaceas commendamus, in caloris
nim gradu conveniunt, nec viribus
fficient. *Been* album multa habet
ccedanea, Angelicam, Cariophylla-
m, Eryngium, Paſtinàcam ſylveſtrem,
ormentillam. *Bezoartico* lapidi, qvia
verus falſusve ſit ſæpe ignoramus,
qvo præter nomen & opinionem
hil reliqvi eſt, cenſore *Martiano* in
pp. ut adeò omnes hujus mercato-
s pro impoſtoribus traducat Com-

mentator Guyberti, qvi *Guido Patinus* eſt acerrimus peregrinarum mercium cenſor, ne nimio pretio fictum emamus, ſatius eſt Unicornu noſtrum Grónlandicum & Cornua Cervi præferre, nota ſcilicet & vera ignotis fictisq;. *Cantharides* ex India & Iberia huc advolarunt, qvibus oneranda non eſt officina. Nam ad veſiculas in corpore excitandas utimur Chamelæa vulgò Kielderhals / Pulſatilla, Ranunculo, Naſturtio, Sinapi, Tithymallo &c. & ad exulcerationem cutis pro fontanella, nihil cinere fraxini efficacius. *Cardamomum* verum prorſus ignorant officinæ Europeæ, pro qvo Carum eligimus, caloris & ſiccitatis gradu illi par, ſi non ſuperius. *Cariophyllis* Indicis radix Caryophyllatæ ſurrogatur. Qvanqvam enim gradu caloris remiſſiore ſit, & ſiccitatis, mora tamen aliqva, exſiccatis terræ vaporibus, ut vires exæqvet, perficitur. Capparibus flores geniſtæ ace-

ceto & muria conditæ, etiam judicio
l. *Simonis Paulli* in his verſatiſſimi,
bſtituuntur. *Caſtaneas* qvia, niſi in
agnatum hortis, non fert tellus no-
ra, glandibus terreſtribus acqvieſci-
ius, & gulæ avidos ad glandes qverci-
as cum porcorum grege relegamus,
antiqvum ſeculum reſpicere jube-
ius, qvod eo pane victitavit. In mon-
bus Apenninis panes ex Caſtaneis
onficiunt monticolæ aliis frugibus
eſtituti, qvibus nos gulæ blandimur,
cqve, pudet referre, ventrem impro-
um alimus, tributo gentium. Qvan-
vam omnium glandium caſtaneas
ræſtantiſſimas dicat *Galenus* l. 2. Alim.
ac. Alibi tamen de Atten. Vict. fate-
ur, ſemper malas eſſe ſive elixentur,
ve aſſentur, ſive frigantur, multoq;
agis ſi crudæ mandantur. Obſtructi-
nes enim generant & inanes in cor-
ore ventos. At glandibus qvercinis
andem nutriendi vim ineſſe qvæ fru-
ientaceorum eduliorum pleriſqve, i-

 dem

dem *Galenus* probat. Qvum enim fames regionem ejus aliqvando invaſiſſet, eſſetqve magnus glandium ac meſpillorum proventus, ruſtici in foſſis ipſa condentes hyeme tota & vere primo pro frumentaceis eduliis ſunt uſi; variè glandes ad eſum comparantes: interdum enim in aqva elixabant, & in calidis cineribus celantes mediocriter aſſabant, poſt autem nonnunqvam comminuentes, pultarium ex ipſis conficiebant; aliàs aqva ſola conſpergentes, ſed condimentum aliqvod immittentes, aliàs mel affundentes, aut lacti incoqventes. *Chermes grana* Monſpelienſibus non invidemus, qvibus an ova radicibus auriculæ muris adnata rectè ſubſtituantur, nolim disputare, qvia de colore tantum ſermo eſt, ipſam enim Confectionem inde paratam commutabimus cum Rob Sambucino & Rubi Idæi tanto majore emolumento, qvod ipſis etiam Medicis Gallis diſpliceat Compoſitionis hujus autho-

thoritas, *Rondeletio* nempe Medico
onſpelienſi, *Ferrerio* Tholoſano, ali-
;, qvippe qvæ dyſenteriam concitet
emplo civis cujusdam Monspe-
nſis, & alia vitia artis habeat. Pal-
ationem cordis ex uſu ejus ortam
ſervavi. *Cordialibus* cæteris, qvæ
eciofo titulo venduntur, cum tamen
t; ut ille loqvitur,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia
falſa;

æponderant Borago, Bugloſſum,
eliſſa, Roſa, viola Martia, & alia no-
a alibi notata, qvorum vel Conſerva
l Aqva refectioni cordis dicatur.
ocus ad hanc claſſem refertur, nobis
glectus, qvanqvam verus ille in hor-
noſtris proveniat, & in Germania,
llia & Anglia in agris conſitus cre-
t; Æmulatur preſsè illius virtutes,
orem coloremq; Cnicus, ſeu crocus
veſtris, in agris haud infreqvens.
gni Guajacini neceſſitatem lues
nerea invexit, qvam utinam
O 5 igno-

ignoraremus, ut illud qvoq; ad orbem ſuum remigrare poſſet. Dum interim paſſim candidatos invenit, inqvilina remedia opponuntur, haud parum valida. Lignum fraxini ſubſidiarias operas pollicetur. Nec improbandus Sambucus. Advocanda qvoq; fumaria, & radix lapati acuti, qvod pro ſecreto ſibi qvidam ſervavit. Ex Saponaria decoctum Diaphoreticum pro ſudore eliciendo in hac lue, inſignis Empiricus *Zapata* propoſuit, qvod ſeqvuti ſunt *Rudius* & *Septalius*, dignum repetita lectione:

R. Herbæ Saponariæ viridis M. ij. infundantur per integram noctem in Aq. lib. viij. poſtea (æſtatis tempore addi poſſunt Cichorium, Cucurbita, Cymbalaria, & ſemper rad. fœniculi.) bulliant ad ſufficientem cocturam, exprimantur, colentur. Hujus decocti doſis ſeu menſura maxima ad Uncias octo adſcendit.

Pro

Pro *ligno Nephritico* fraxini noſtri gnum optimo jure reponitur in thecis harmaceuticis, qvod ejusdem eſſe ſpeiei peritiores rerum Medicarum, ræeunte incomparabili *Bauhino* judiant, cujus idcircò corticem interioem cœruleo colore inficere aqvas, icut lignum Nephriticum, obſervavit *Cæſalpinus*. De *Iride Florentina*, non eſt vod ſolliciti ſimus, qvum Iris noſtra i qvoq; purgante polleat, & odoris vavitate Iridis radices ex horto meo rbano extraxerim, qvas olim à Magno Viro *Olao Wormio*, terræ ibidem commiſſas memini anteqvam ſummo Reipublicæ Medicæ detrimento, vitâ exiret. In *Maceris* locum reponit *Alaymus* l. de ſuccedan. ſummitates meſpili vel potentillæ. Radix Imperatoriæ *Meum* extrudit, vel Daucus. *Mumiæ* ex Ægypto afferri ſolitæ deficiunt, qvia curam condiendi cadavera ſua more veteri intermiſerunt Cophthæ. Hinc ſiqvidem tanta ejus ſit neceſſitas, arte domeſti-

meſtica imitari illorum induſtriam poſſumus, vel naturali Mumiæ acqvieſcere. Mumias enim terræ ſingularis beneficio effici, Venſtermanni apud nos exemplo *Cent. 1. Hiſt. 62.* demonſtravi. Exinde loculus feralis ejusdem uxoris à milite ſpe theſauri defoſſi fuit effractus, repertumq; cadaver jam poſt 32. annos prorſus qvoq; integrum, aridum & illæſum omnibus ſuis partibus. Utriusq; cadaver diligenter, illac transiens, iterum perluſtravi, vidiq; eandem utriq; eſſe ſiccitatem, magnitudinem, colorem eundem, pernæ fumo induratæ ſimilem, ſed pondus diverſum, qvanqvam enim facilè utraq; Mumia à me portari manibusq; elevari poſſit, feminea tamen gravior eſt, ob reſiduam humiditatem. Ungues in utraq; deſunt, in pedibus pariter & manibus, qvia tendinibus exſiccatis & contractis contineri ſuo loco non potuerunt. Cauſa qvæ à putredine hactenus vindicaverit, non æqve liqvida, an

cœli id ſit beneficium , vel nativo
ſamo adſcribendum, vel deniq; ter-
ſalinæ & nitroſæ imputandum.
ſpillo templi à me rogatus, negavit
in cœmiterio vicino , vel ſepul-
is templi aliis, præter oſſa ex cada-
ribus qvicqvam comparere. Patet
ò cryptæ ſubterraneæ feneſtra me-
em verſus, & effoſſum ſolum eſt ar-
aceum. Cauſæ autem ſupranatura-
nulla hic indicia vidi: Sicut narrat
Kranzius l. 3. Metrop. cap. 42. 48.
nonem Daniæ Regem per annos 70
grum in ſepulchro à putredine Li-
tii Hamburgenſis Epiſcopi gladio
e conſervatum , ſed interpoſita
e Adelvardi Seonum Apoſtoli ab-
tum cecidiſſe in cineres. Artem
Dani olim corpora defunctorum
diendi noverunt. Nam apud *Saxo-*
noſtrum l. 5. Hiſt. Dan. Frothone
tio Rege Danorum mortuo, egeſtis
eribus, ſalitum corpus triennio
eres aſſervandum curabant, pro-
vin-

vinciarum defectionem vulgato Regis ſ
exitu formidantes. Qvanqvam igitur
pretioſa aromata nobis deſint, qvibus ſ
corpora ſua medicabant Ægyptii; ta-
men & hi vulgata ſolo piſaſphalto con-
diebant, qvæ ad uſus Medicos jam in
officinis veniunt. Unde picem liqvi-
dam, qvæ nobis familiaris, propter
aſphalti affinitatem Mumiæ Ægyptiacæ
ſubſtituendam cenſet *Joubertus*. Cera
qvoq; abundè nobis ſuppetit condien-
dis cadaveribus utilis. Ita enim, C.
Nepote authore, Ageſilaum mortuum,
amici qvo ſpartam facilius perferre
poſſent, qvod mel non habebant, cera
circumfuderunt. Non enim propter
aromata ſed propter ſangvinis carnisq
humanæ virtutem Mumia in pretio &
honore medicorum eſſe cœpit. Hinc
Mumiam artificialem componit *Alay-*
mus c. 1. ex ſangvine humano optimo
& ab omni corruptione alieno, per
Balneum Mariæ deſtillato, in qvo myr-
rham deinde, aloën & Crocum miſce

&i

in Trochiſcos efformat pro vera
umia ad uſum ſervandos. Ruſticus
idam noſtras, qvi Empiriam profite-
tur, corda hominum in Theatro
natomico diſſectorum non ſemel à
e impetravit, qvæ aëri ſuſpenſa exſic-
bat ſine alio additamento, & in fe-
ibus utebatur. Nollem tamen ad
c remedii genus libenter deſcende-
, qvia nefandæ tyrannidi occaſionem
mminiſtrat, ſi qvando apud aſſvetos
ficiat. Ita Æthiopes, qvia medica-
enti hujus utilitatem vel experti
nt vel ab aliis deprædicatam accepe-
nt, ne eo deſtituantur ita arte parare
ent, ſicut fidem facit Fr. *Aloyſius de
ncto Raymundo* in Hiſt. Æthiop. Ho-
inem, bello mancipatum, optima
letudine præditum, ætate vigente,
cundis poculis & epulis ſalutiferis
unt donec opportunus ipſis videtur
jugulëtur ac trucidetur. Hinc ex-
actis viſceribus partibusq; putredini
tis mirrha, aloe, croco aliisq; aro-
mati-

matibus cadaver replentes ſuſpendunt, qvousq; humiditas omnis aqvoſior exſtillaverit, reliqvum pro mumia ad varios affectus ſervant. Sed verè Empirici apud *Celſum* in Præf. crudele pronunciabant vivorum hominum alvum atq; præcordia incidi, & ſalutis humanæ præſidem artem, non ſolum peſtem alicui, ſed hanc etiam atrociſſimam inferre. *Nucem Moſchatam* juglans obſcurat, qvam æmula cerebri figura exprimit. Hinc & oleum hujus expreſſum pari paſſu cum illo ambulat, qvod nuciſtam vocant. Certè juglandis nuces conditæ à condita myriſtica ex Indiis allata parum differunt, qvanqvam in recentibus ratione aſtrictionis videatur diverſitas. Qvia verò nux myriſtica in dyſenteria maximas vires exſerit, oleosâ ſubſtantiâ dolores leniendo, & terreſtri aſtringendo, ut prorſus illi ſimile aliud ſubſtituamus, globulos artificiales in furno coqvimus ex pulvere uvæ qvercinæ, & pane

biſcocto

cocto in ſucco rubi, cydoniorum, plantaginis. Ex Corylo ſeu nuce ellana ſuccus elicitur qvi ambiguâ toriâ cum *oleo amygdalarum* dulm certat. Unde & pro his illæ nuſeligendæ, qvarum tantus eſt in ſylnoſtris proventus, ut ex putamini- oneraria aliqvot naves impleantur pro tinctoribus in Belgium qvotanmittantur. *Olea* alia olivarum nohaud indulſit Natura, qvem tamen ectum optimè ſarcimus butyro, pibus, anſerino, vervecino, ſuil-&c. qvibus ad Cataplasmata, inunones, ungventa popularia utimur. um ovorum qvivis ruſticus elicit, x lineo panno qvomodo oleum exare poſſit, vulgò notum. *Opobalſa*- tot rixas nuper peperit inter Meos Romanos, ut dignum ſit exilio. dudum, qvia vel parcius in Euro- defertur, vel mangonio fallit, exuex Compoſitione Theriaces, vicanq; habet oleum nucis moſchatæ

expreſſum. In hujus tamen vicem ſuccedit oleum ex corticibus rad. lauri arte chymica extractum, experientiâ *Alaymi.* Non dubito qvin ſimile oleum pari virtute impraegnatum ex radicibus Juniperi haberi poſſit. *Origanum* ex Creta, tot annorum bellis attrita petere neceſſe non eſt, qvia Origanum noſtrum in campis transeuntium nares oblectat. *Piper* maximum negotium faceſſit, cui aſſvevimus, etiam pretii vilitate à plebe expetitum. Si tamen perſvaderi ſibi patiantur, reapſe experientur, nobis non deeſſe qvæ in comparationem cum illo Indico venire poſſint. Propono omnium examini, qvi ſapientum more Prochymini, qvi ſapientum more Prochytam præponere amant ſuburræ, Cæpam, Coriandrum, Leviſticum, qvod piper Liguſticum vocant, naſturtii hortenſis ſemen, Perſicariam, qvæ & piper aqvaticum ſeu hydropiper appellatur, Raphanum, Sinapi, aliaq; uſu probata, civibus noſtris, qvos cibus qvem occu-

pant,

unt,ſatiat, ſine peregrinis aromatis
entriculum urentibus, commoda.
ordium Creticum dudum ex Theriaca
fficinarum exploſimus, qvia rarò niſi
narcidum ad nos defertur,noſtrumq;
odoris ſvavitate & recenti virtute
orens, Medicorum conſenſu, ſubſti-
imus. *Scorzonera* noſtra, Hiſpanicæ
biam palmam fecit, cujus efficaciam
l augent vel confirmant, Scabioſa &
dices Chærefolii. *Sacchari* ſucceda-
eum eſt mel noſtrum, dulcis ille A-
m labor, qvo & cibi condiuntur &
r Syrupos, Conſervas, aliaq; hujus
nſus, medicamenta conſervantur.
eteres qvoq; melle, loco ſacchari, uſi.
uca ex multis exempla afferam.
oſcorides l. 4. c. 94. ſemen urticæ cum
elle thoraci præſcribit. *Galenus* l. 1.
Glaucon. abſinthium cum melle ad
ntriculum laudat. Condita ſua
nnia ex melle conficit *Apitius* l. 1.
Re Cul. Condimenta qvoq; malo-
m medicorum, Cotoniorum &c.

Jo. Damaſcenus melle perfecit. Cardos etiam ex aceto & melle diluto condit recentior *Platina* de Tuend. Val. l. 3. At cum tria mellis genera antiqvis memorentur, ex floribus, unde Apes colligunt, ex aëre, unde Manna, ex arundinibus, unde ſaccharum, cauſa nulla eſt, cur de alio melle cogitemus qvam primi generis, ſi qvidem reliqvis differentiæ adduntur, alterum enim mel aëreum vocabant, de qvo *Galenus* l. 3. Alim. fac. qvod ex aëre in plantis vel arboribus cōcreſceret, qvale eſt Manna, qvam in Calabria fraxino abraſimus; tertium autem mel ex arundinibus dicebatur, qvod ſaccharo noſtro reſpondet, de qvo eruditè multa poſt *Cl. Salmaſium* Exerc. in Sol. Commentatur *A. Deuſingius* in Diſſert. de Saccharo, qvi legi meretur. Sine melle & ſaccharo Electuarium ex ſambuci baccis mulieres domeſticæ hoc modo conficiunt: Ex maturis ſambuci baccis contuſis ſuccum expreſſum igne lento coqvunt donec

nec nihil ſpumæ ſupernatet, ſeu
nec omnis aqvea humiditas ſit ab-
mpta, tumq; ſine ſaccharo, ſine mel-
, ſine alio adjumento conſiſtentiam
lectuarii acqvirit & ad annorum uſus
rvatur. Pro ſtomacho roborando
glandes teneras aqvæ infuſas & ex-
ccatas melle cocto & deſpumato con-
re eædem ſciunt, nihil de ſaccharo
gitantes, niſi ex illorum ſint nume-
, de qvibus Tragicus:

Qviſqvis ſecundis rebus exultat nimis
Fluitq; luxu, ſemper inſolita appetens;
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placēt ſvetæ dapes.
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.

De *Senæ* foliis multa dicenda eſ-
nt, niſi jam ea ante exſeqvuti eſſe-
us. Coluthea, qvam in hortis ama-
us, illi ſurrogari poſſet, qvod in ob-
lione à me feliciter factum. Cæte-

rum ſi qvidqvam ex peregrinis optandum foret & adoptandum, impensè vellemus,ut Sena in noſtras terras commearet jusqve civitatis peteret, non qvod paria nobis negaverit Natura, qvæ pari amore omnes ſibi vindicat, ſed qvia innumera illa noſtra necdum uſu cum illa conferri poſſunt. Neq; tamen meretur iſta ſola una, ut rupto fœdere Naturæ terreſtre animal homo, ventorum & maris objectus iræ, ſe fluctibus credat, ſemperqve ritu volucrum, longinqvi littoris peregrinus, ignotum pererret orbem, ut cum *Columella* l. 1. R. R. loqvar. Inter eas enim numerari debet, qvæ indociles ſunt naſci alibi, qvam ubi cœpere. Author Medicinæ Charitativæ magnificis elogiis exornat Senam, qvam nobiliſſimam & ſaluberrimam plantam univerſi vocat, docetq; vulgus Gallicum, qvo modo ſine Pharmacopœorum opera infundi vino medico poſſit. Noſtris domeſticis nihil notius. Ad *ſuc-*

cum

cum citri exprimendum, ne pedem qvidem extra patriam efferremus, qvia acetoſa & acetoſella inter gramina campi luxuriant. Amplus jam campus aperitur de *Tabaco* ſeu Nicotiana diſſerendi, qvem tamen cito pede emetiri poſſums. Qvia tot præclara ingenia majori diligentia hunc percurrerunt. Qvanqvam verò etiam vera Nicotiana in hortis noſtris ſata ex ſemine proveniat, & in Germania agri conſiti luxurient, poſſet tamen noſtra Nicotiana vulgaris curioſitatem mortalium ſatiare, imô qvidvis aliud qvod fumum concepto igne emittit, ut ſi capitis habenda ſit ratio, herbæ cephalicæ ſiccæ fiſtulam impleant, præcipuè majorana, hyſſopus, thymus, qvæ è tubulo haurire qvo excipi ſolet fumus Tabaci, ſvadet *Prævotius* in Med. Paup. De aliis rerum aliarum qvisqviliis idem eſto judicium. Lepidum hujus ſpectaculum præbuit ruſticus qvidam noſtras fumo aſſvetus magis qvam famæ, cui,

 defi-

deficiente tabaco vero, alius animo illudendi, fimum bovinum exſiccatum & neſcio qvibus odoribus imbutum, ne fucus detegeretur, fiſtulæ inditum exhibuit, qvem ille fraudis ignarus tanta aviditate hauſit qvaſi ex Virginia allatam nicotianam magno pretio emiſſet, qverebatur tamen identidem de fumi inſolito rigore. Ita ille deluſus, philocapnis exemplo præivit, qvam facilè falli poſſit hæc ingluvies. India Europæis hæc otia fecit, ut eo qvaſi veterno ſecurè ſopirentur. Si ſapientum more ſuperflua reſecaremus, poſſemus ſine ſalutis detrimento, peregrino iſto fumo prorſus carere, & bonis noſtris frui. Majus indies pretium pulvis ipſe Nicotianæ acqvirit, ut inter naſi delicias primum inter magnos parvosq; obtineat locum. Ejus laudes ingenioſo poëmate depinxit nuper *Carolus van Mander* Poëta pariter & artis ſuæ peritisſimus, qvi tam blandè pulviſculum tractat, ut parum

abſit

bſit qvin omnes in illius amorem
elliceat, qvi laudi ſibi ducunt hunc
ucem ſeqvi. Ego iisdem retibus ir-
etitus, qvanqvam huic pulviſculo
iſus mei præſtantiam, olim im-
ecillis, adſcribam, ſciamq; pluribus
liis moderatum uſum profuiſſe; ta-
nen incantamentum illi ineſſe ſuſpi-
or, ut ſemel ſeqvacem, totum poſtea
bi devinciat. Habet qvidem tenuem
c perfuſoriam voluptatem, ut eapro-
ter, judice Stoico, qvodcunqve inve-
ticium gaudium eſt, fundamento ca-
eat: at ex ejusdem ſententia, non
mper imminendum libro, aut pugil-
ribus, addo nec penicillo. Dandum
nim aliqvod intervallum animo, ut
mittatur, dandum naribus aliqvid,
um alii inter oleum & vinum occu-
ati ad votum dies totos agunt. Qvod
interceptus eſſet ad Indos commea-
us, non idcircò nares defraudarentur.
andiri illis pulvis pulſatillæ poſſet,
iorum Convallium, majoranæ, cha-

mæpiteos &c. magno capitis ſolatio, & ſi qvæ alia in pulviſculum comminuuntur. *Theæ* herbæ recens eſt fama. Citiſſimè tamen occupavit aulas Europæ, cum Coffé, qvorum decoctis, novis magis qvam gratis, gulam ad famem & cerebrum ad vigilias excitare feruntur. Ita eſt, citò accedimus opinioni, &, ut verè *Seneca* Ep. 13. vana magis perturbant, vera enim modum ſuum habent. Larvam hiſce detraxit ſæpe laudatus noſter *Simon Paulli*, qvi herbam Thé, tot titulis ambulantem in triumphum duxit, probavitq; conjecturis veri ſpeciem habentibus eſſe chamelæagnum, nobis familiarem, vel illi ſurrogari poſſe, præfert tamen Betonicam noſtram, ſi illius decocti uſus introduceretur. *Terra ſigillata*, Turcarum fide ad nos miſſa & ſignaculo, noſtræ Terræ Cimbricæ, illi æmulæ, præferri non meretur. Argilla qvævis ſicca eundem effectum pollicetur. Inprimis terram Cimbricam juxta pro-

omontorium Biørnshoffvet / diſtri-
us Hottersnenſis laudat *Olaus Wor-
ius* patriæ noſtræ ornamentum. Duo
rrarum genera ibidem inveniri te-
atur c. 4. *Muſ.* l. 1. ſ. 1. luteum alte-
um, alterum cinereum, qvæ ad na-
ram Terræ ſigillatæ qvam proximè
cedere videntur: Crudas adhuc &
on purgatas, puriſſimas & ab omni-
us heterogeneis ſeparatas inveniri in
ineris, pingves eſſe, ad contactum
bricas, adſtringentes & lingvæ adhæ-
ntes, liqveſcere liqvoribus inditas
ae fæcibus. Non dubitat Vir idem
mmus, qvin Terræ hæ vim habeant
ſiſtendi malignitati, ad ſudores elici-
dos commodæ, inprimis in Dyſen-
ria & aliis alvi fluxionibus utiles.
ope Scanderburgum Cimbriæ, ter-
m aliam è vicino monte erui, ejus-
m laudati Viri fide accepimus, qvam
o ſigillatâ vendere auſi ſint qvidam,
de & paſtillos ex eâ formatos ac ſi-
llo Roſæ decoratos. At cum in terra
cruda

cruda nihil pingvedinis nec inſignem adſtringendi vim animadverteret *Wormius* Magnus, ſed potius acrimoniam qvandam guſtanti præbuiſſe, ad ochras potius referendam putavit, præſertim cum accolæ ipſâ terrâ luteâ exſiccata ad tingendas & pingendas ædes colore flavo utantur, igne verò ubi uritur, rubrum colorem aſſumat, qvam genuinam ochræ notã eſſe *Dioſcorides* docuit. Ebullit & ex fonte in prædio Sonnerup fratris noſtri amantiſſimi *Bartoli Bartholini*, Profeſſoris Regii, flava terra, qvã in trochiſcos compactã & ſiccatam aſtringẽdi æmula cum Terra ſigillata virtute præditã depræhẽdi. Non diſſimilis illa, qvam colles fontibus Helenæ in Sialandia noſtra vicini, ſubminiſtrãt, qvanqvã necdũ internus illius uſus experientiâ confirmatus ſit. Ut ad ultimam literam veniamus, pro *Zinzibere*, Gentianæ Norvegicæ radicem uſurpamus, vel raphanum ruſticanum, & qvi conditum pro ſtomacho deſiderat, radicem Pſeu-

doi-

ireos melle conditam ſeligat ſuc-
ſſu haud pœnitendo. *Gummatum*
regrinorum memoria excidit nobis
ſciis & properantibus. Sed reſinas
gummata arbores noſtræ ſtillant,
raſus, abies, pinus, prunus, juniperus
c. fragranti odore & efficaciâ: Et ſuc-
num flavum & albũ ad littora noſtra
pellit in Cimbria: nuperq; & multa
magna fruſta utriusq; ſuccini ex terra
uta ſunt arenoſa & ſaxoſa, qvum Haf-
æ ad munimenta urbis nova foſſæ
ofundius foderentur, de qvibus du-
tatum fuit an ibidem generata ſint.
t ex mari olim profluxiſſe, ambigi
x poteſt, qvum, ante qvã urbs ad eam
mplitudinem crevit, littus his locis
enoſum fuerit. De ſpermate Ceti,
vod Ambram vocant, alibi à nobis
tum majori cura. Non id in mari
ptentrionali ex ſuperfluo Cete ſemine
olligitur, ſicut operosè narrat *Olaus*
agnus, & alii multi opinantur, ſed ex
rebro balenæ Dógling eruitur, cujus
culatus teſtis fuit in Inſulis Feroënſib9

Chriſtophorus Johannæus, Urbis Hafnienſis Conſul emeritus, ſocer meus honorandus, & aliorum qvoq; fide confirmat Magnus *Olaus Wormius* c. 14. l. 1. Muſ. ſ. 1. Cujus Naturæ myſtæ, eſt cenſura: fieri poſſe, ut tam in mari, qvam in tali Ceto, reperiatur hæc materia; in Ceto, qvando capitur, qvoniam in ejus cerebro generari videtur: in Mari, qvando hic Cetus pugnando cum aliis occubuit fracto cranio, vel etiam hanc materiam certo tempore, inſtinctu naturæ, per appropriatos meatus ſponte evacuaverit. De *purgantibus* parcior eſt hoc loco calamus, qvia in alia Diſſertatione id egimus. Compendio hæc Succedanea, Medicis ἀντιβαλλόμενα dicta, adduximus, ut intra patriæ terminos maneremus, nec Pharmacopolis peregrina medicamenta tanto faſtu & incredibili oſtentatione venditantibus nimium tribueremus, ſibi ſuffenis, Medico inſultantibus, ægros pecuniâ emungentibus & nonnunqvam vitâ, ſanos variô Aqvarum Vitæ apparatu & ſaccharo conditis aromatis fumisq; pretioſis ineſcantibus. Aliis certè peregrina remedia tantopere æſtimantibus, & peregrinos cocos præferentibus, meam mentem precor. Noſtra nos ſine comparatione delectent.

TH.

TH. BARTHOLINI
De Victu Danorum domeſtico,

DISSERTATIO SEXTA.

VIvendi media neceſſaria ſunt omnibus, qvi & ſecundam & adverſam valetudinem tueri aut emendare præſidiis volunt. Ad victum autem perpauca reqviruntur, qvia, ut ille loqvitur, ventre nihil novi frugalius, ad luxum plurima. At ſi Naturam ducem ſeqveremur, paucis contenti ſalubrius degeremus, ſpretoq; apparatu magnifico, ſine Apitii miniſtris, frugali noſtro victu, qvem in ſingulos dies majorum ſimplicitas inſtituit, & adhuc inter patriæ incolas, antiqvorum

rituum

rituum obſervantes, ſervatur, frugalitatis illos ſtudioſos, ſanitati melius conſuleremus, opibus & felicitati. Enimverò ad opiparam cœnam undiq; conqviſita edulia, gulæ irritamenta, qvæ onerant ſtomachum non ſatiant, crumenas emungunt familiasq; depopulantur. Hiſce enim navigatur ad Phaſin; hiſce profundi vada exqviruntur. Juſtis de cauſis irridemus Cleopatræ profuſam luxuriam, qvod pretioſa ingluvie unionis, nummos regni ſui decoxerit & famam temperantiæ. Nec admiramur Romanorum Imperatorum delicias, magno emptas pretio, qvibus majeſtatem ſuam oſtentare maluerunt, qvam prudentiam: Indignari etiam debemus Criſpino, qvi, *Juvenale* exprobrante Sat. 4.

mullum ſex millibus emit,
Æqvantē ſanè paribus ſeſtertia libris.

Nec minus Clodio Æſopo Tragico, qvi in patinâ ſexcentis HS taxata, poſuit aves cantu aliqvo, aut humano ſer-

rmone vocales, nummis ſex ſingulas
ëmptas, *Plinio* taxante l. 10. Cap. 51.
audamus potius veterum philoſo-
ıorum frugalitatem, qvi parco & pa-
ıbili cibo ſatiari maluerunt, qvam
ginari, ne alienarum eſcarum appeti-
ı ineſcati, pecuniam dilapidarent, vel,
ea carebant, ne injuſtè acqvirerent.
ıdulgenda eſt Terrarum dominis hæc
bertas, ut ſplendori ſuo indulgeant,
vibus omnia in ſervitutem nata, qvia
omnium dominos credunt: at no-
is venia dari non poteſt, qvi alieno
ctui inhiantes, paupertatem noſtram
vaſi ſorices prodimus, vel accelera-
us. Oſtentemus nos potius in pro-
iis bonis, nec victum aut amictum
exteris petamus, qvi noſtri non
nt, niſi mercium pretio parati. Ita
ibutarii aliarum gentium ſumus,
oditore ſtomacho, qvi, peſſimum
orporum vas, inſtat ut creditor, & ſæ-
us die appellat. Excutiamus iſtam
rvitutem, ſicut de re non abſimili

Q tradit

tradit *Tacitus* in Vit. Agric. nimis oneroſam & damnoſam, diſcamusq; culinæ noſtræ aſſveſcere, ne Paraſitorum more, alieno præſepi emancipemur. Pudore ſanè ſuffundor, qvotiens mente revolvo mortalium faſtidia. Ne deſit qvod avaro voto ſectentur, cibos alienos expetunt, carnes, fructus, potus, qvaſi domi non eſſet ſtomachum qvod ſatiaret. Rectius ille apud *Comicum* in Pœnulo:

— qvanqvam ſumus pauperculi,
Eſt domi, qvod edimus. —

Aliter animati majores noſtri, rebus domi natis veſcebantur, roboreq; corporis & animi teſtati & ætate provectâ, qvam bene nobis noſtra placere debeant, qvibus vel pueri aſſvevimus, vel communi naturæ inqvilinæ deſiderio pleriq; incolarum magno valetudinis incremento delectantur. Inſignis hac conſtantia fuit Starcatherus apud *Saxonem* l. 6. qvi edulium regium repulit, qvod vulgaris cibi vilitate contentus

entus peregrina admodum obſonia
aſtidiret, communibusq; epulis aſſve-
us, nullius gulam ſaporis oblectatione
alparet. Similia à ſimilibus conſer-
vari inter Medicos in confeſſo eſt. At
lomi natis eſculentis potibusq; noſtro
emperamento familiaribus nos qvoq;
nculpatæ ſanitatis eventum facilius
ſſeqvuturos certò perſvaſi ſumus.
Communi enim cœlo gaudemus &
olo, ut ex vario repugnantis naturæ
liſſidio nullæ coco noſtro domeſtico
urbæ immineant. Feliciores qvoq;
& qvietiores erimus, ſi nobiſcum ha-
bitemus. Varius enim victus aliunde
accerſendus turbat rationes ſapientis,
avarasq; cogitationes ſuggerit, bella
publica & privata odia accendit, one-
rat alienum corpus, animum inqvietat
peregrino hoſpitio infenſum, omnium
deniq; malorum in Republica cauſa eſt
& incitamentum, ut non ſine ratione
Porphyrius de Abſtinentia, carnium e-
ſum damnarit, ſcilicet peregrinarum,

qvia bellorum ferè fax & tuba ſunt. Certè niſi ex India aromata, ex Perſia ſericum, ex Sinis vaſa utenſilia Porcellanica, ex Italia oleum, ex Gallia vinum, ex Iberia poma citria, ex Turcia orizam, ex Moſchovia Caveare, ex Orcadibus haleces tanto mercatorum concurſu peteremus, mare pauciores claſſes experiretur, rariusq; inter ſe corrivales certarent qvaſi alteræ Helenæ procantes. Sicut Canes inter ſe de offa certant, & dentes acuunt; ita nos inqvietus ſtomachus cruciat, ut de eſca ſeu bellariis peregrinis maria & terras commoveamus. Beatiores coloni, de peregrinis non cogitant, qvia frugalior menſa extra luxum eſt, ſed ad uſum ruſticum ſufficiens. Talem victum militiæ tyronibus propoſuit *Vegetius* l. 1. R. Mil. cap. 3. ex urbe ſelectis, parvum nempe ſeu vilis pretii, & ruſticum, qvia minus mortem timet, qvi minus deliciarum novit in vita. Hinc aptiorem armis ruſticam plebem pro-

robabant veteres, qvæ, ut idem pru-
enter monet, ſub dio, & in labore
utritur, Solis patiens, umbræ negli-
eus, balneorum neſcia, deliciarum
gnara, ſimplicis animi, parvo con-
enta, duratis ad omnem laborum to-
erantiam membris, cui geſtare fer-
um, foſſam ducere, onus ferre, con-
vetudo de rure eſt. Talis autem
ictus caſtrenſis, teſte *Spartiano*, erat
aridum, caſeus & poſca, ultra qvæ vix
rogreditur plerorumq́; ruſticorum
uxus, niſi civitatum exemplo ſubinde
d devia ſeducantur, &, indignante
erſio Sat. 6.

craſſo vitient ungvine pultes.

Veteres etiam Salem pulmentarii vice
ddidiſſe author eſt *Varro*, hoc nomine
linio l. 31. c. 7. laudatus: eſitâſſe enim
os ſalem cum pane & caſeo. Dome-
ico tamen hoc victu, qvando cum
le plenus eſt, contra labores ſe ar-
nant muniuntq; ruricolæ, rerum
liarum ſecuri, cujuſcunq; tolerantiæ

documentis imbuti, ut ſi polentam habeant, Jovi cuiq; de felicitate controverſiam ſint facturi: Ita

bene paupertas
Humili tecto contenta latet.

Magnæ enim his divitiæ ſunt, ſi *Seneca* Ep. 4. credimus, lege Naturæ compoſita paupertas. Lex autem illa naturæ, ſcis qvos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Ut famem ſitimq; depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium grave, & contumelioſam etiam humanitatem pati. Non eſt neceſſe maria tentare, nec ſeqvi caſtra. Parabile eſt, qvod Natura deſiderat, & expoſitum. Ad ſupervacua ſudatur. Illa ſunt qvæ togam conterunt, qvæ nos ſeneſcere ſub tentorio cogunt, qvæ in aliena litora impingunt, qvæ orbem mutuis odiis involvunt. Ad manum eſt, qvod ſat eſt.

Inter prima fercula diebus eſu carnium dicatis, qvos inter ex veteri inſti-

ıſtituto eſt dominicus dies, Martis, & ovis, patina offertur, noſtratibus Sammelmad dicta, referta carnibus litis fumoq; induratis, bovinis, ſuilis, ovillis, anſerinis, cum farciminibus boum lingvis, ad pompam adornaa & ad uſus inſignes inſtructa. Nomiis vulgaris appellationem, me judice, tas dedit, qvam ferculum iſtud inqvinum ferre poteſt, toti hebdomadi fficiens. Nonnullis in locis ſeptenionis, ſingulis diebus in prima menſa pponitur, ſi obſonanda ſit fames, ut vaſi perpetuum ferculum inter alias pulas cottidie proſtet. Pauperioriius contractius eſt, ditioribus adeò feax ciborum, ut illo uno ferculo porndo vix unus miniſter par ſit. Forn tamen cibus antiqvus appellatur, via diutius vel ſale vel fumo condiis. Utraq; nomenclatura Hiſpanoum Ogla putridâ multis paraſangis ævalet, qvippe qvæ ſalis fumiq; raone in pluſculos dies incorrupta

 ſerva-

ſervatur, & ventriculo noſtro gratior venit. Recentem carnem calidioribus qvidem in Gallia, Italia, Hiſpania, utiliorem concedo; at nobis ſalita præſtantior eſt, cacochymia, ſcorbuto, hypochondriaco affectu torpentibus; qvippe à putredine nos conſervat, appetitum languentem excitat, & hypochondria obſtructione liberat. Commendo igitur patriæ conſvetudinem diu receptam, qvanqvam olim, ab exteris reverſo, ad ciborum talium conſpectum, ſudor proruperit, ſive qvod decem annorum peregrinatione recentibus carnibus aſſveverim, ſive qvod calidius temperamentum averſaretur hoc condimentum. Jam verò patrii moris reverentia, avidius hoc cibo veſcor, qvem etiam aliis deprædico. Nec autor eſſem ut patriæ cives ad alium victum deflecterent, qvam cui aſſveverunt, & ex qvo majores longa ſerie benè ſalubriterq; vixerunt. Sal certè optimum ciborum condi-

men-

entum, qvó carnes conſervantur, ne
trefcant. De fumo induratis cibis
bitare non debemus, partem ſalutis
ſtræ illis deberi. Qvippe abſumpta
r benignum lentumq; fumum hu-
iditate ſuperflua, minus corpori ex-
ementorum ſuppeditatur, & diutius
ibus noſtris inſerviunt carnes pi-
esq;. Qvam rationem œconomicam
iam habuiſſe majores noſtros exiſti-
o, ut neceſſitati qvotidianæ conſu-
rent, ne cottidie vel macellum ma-
no pecuniarum diſpendio adirent,
l domeſtica animalia mactarent, præ-
rtim æſtatis menſibus, qvibus facilli-
è putreſcunt cibi & vermiculos inde
ncipiunt: qvanqvam & huic in-
mmodo occurrere poſſemus, ſi,
ore & exemplo Italorum, in cellis
variis carnes ſuſpenderentur. Ha-
ent & fumo induratæ carnes aliud
mmodum, qvod pro numeroſa fa-
ilia ſtomacho farciendo citius ſuffi-
ant, qvam recentes. De ſalitis carni-

 bus

bus monendum, fumos ex lignis melioribus excitari, juniperinis & faginis, interdum & qvercinis, qvanqvam hinc ſaporem amarum carnibus imprimi credant. Ceſpites bituminoſi non æqvè commodi, niſi magna dexteritate accendantur. Reliqvi fumi qvantam vim carnibus contribuant, fuligo indicat, cujus immenſas virtutes non ignoramus. Neſcios amandamus ad *Schröderi* Pharmacopœam, ſi compendio rem, aliis libris deſtituti, noviſſe velint. De utroq; cavendum, ne juſto diutius vel ſali vel fumo relinqvantur carnes. Si bubulæ ſint tertio, ſi ſuillæ nono die eximendæ anteqvam fumo committantur. Hic verò eas moras ferre non debent, donec univerſæ perfumentur. Sufficit enim valetudini & palato ſi ferè ad intima permeet fumus, centro illæſo & intacto; ita & annum fert caro, & exſucca non eſt. Hæ ſunt rationes qvæ cibos noſtros ſalitos fumoſosq; extollunt,

nt, qvibus patriæ conſuetudo inve-
rata & probata tot ſeculorum decur-
prospera incolarum valetudo in-
ns momentum addit, ut qvi aliud
oſtris hominibus ſvadere vellet, ope-
m perderet & oleum. Nec enim va-
ntes tantum, ſed & ægri conſvetis
ſce cibis innoxiè fruuntur, qvod
on ſemel vidi. Scilicet conſveti cibi
morbis, qvanqvam duriores pejo-
sq; , tam laudari merentur, qvam
vos ſvaviores *Hippocrates* 2. Aph. 38.
ommendat. Ea enim qvæ conſveta
nt, ſvavi ſenſu naturam afficiunt, &
entriculo amica cenſentur, qvi, in
orbis præcipuè, à conſvetis revocan-
us non eſt, ne ab inſvetis vires infrin-
antur. Peccatur non raro nimiâ Me-
corum nonnullorum ſeveritate, qvi
bos prohibent, qvos ægri avidè ex
onſvetudine appetunt, qvamvis gra-
ſſimos. Ego non ſemel gratiam à
onvaleſcentibus merui, qvod ea ci-
orum genera deſiderio illorum in-
dul-

dulſerim qvæ aliis Medicis inter prohibita habebantur. Ruſticos languentes ægrosq; delicatioribus ferculis commiſeratione ducta uxor mea ſvaviſſima, qvando in villa degimus, non nunqvam reficere voluit; at illi pultem & aſellos ſiccos rogatum venerunt, qvibus cum fiducia ſanitatis veſcebantur. Scilicet ventriculus humanus opifices alios imitatur, qvi in asſvetis operibus conficiendis prompti, ſi ad diverſa revocentur, in alium terrarum orbem ſe putant delatos. Non facilè fabro ferrario auri laminæ ſubjiciuntur, nec aurifabro ferreæ. Nec canibus molliora gramina tam proſunt, qvam ſolidiora oſſa. Omnes deniq; aſſveta appetunt, & ab inſolitis læduntur. In Islandia noſtra avis Lunda, *Cluſio* Anas Arctica dicta, qvæ roſtro Pſittacum æmulatur, in terra deſtituta, volare non poteſt, niſi aqvam, cui aſſvevit, videat. Refert *Jo. Cajus* l. de Ephem. Britan. pag. 182. nobilem qven-

..ndam Venetum carne bubula con-
..o cibo à familiari Medico cura-
..n fuiſſe, cum ab aliis, qvi id neſcie-
..t, melioris ſucci cibis nulla ratione
..ari potuerit. In hanc ſententiam
..mmuni Patavinorum ore narratur
..Germano febricitante, qvi, qvum
..lius remedia ſalutaria procederent,
..nâ fumo induratâ comeſtâ conva-
.., inſcio Medico; ſed remedii novi
..ntum in Italo fefelliſſe, qvem hoc
..ifebrile, prioris exemplo, tentatum,
.. cum febre abire coëgit unde ne-
..t redire qvenqvam. Hinc Medi-
..n cautione doctiorem, adverſariis
.. inſcripſiſſe, ſuccedere hoc ſecre-
..n in Germano, non Italo. Ex qvi-
.., præeunte *Celſo* l. 2. Cap. 25. intelli-
..oteſt, non qvicqvid boni ſucci eſt,
..tinus ſtomacho convenire, neq;
..cqvid ſtomacho convenit, protinus
..ni eſſe ſucci: Sed conſvetudinis
..e omnia habendam rationem.
..ſtre exemplum nobis ſubminiſtrant
Grön-

Grônlandi, qvi nuperis annis ad nos advecti, optima valetudine fruebantur, qvamdiu carnes crudæ concedebantur; at paulatim noſtro vivendi genere aſſveſcentes, perpetuo patriam revidendi deſiderio, mortui ſunt. Nec plura in rei fidem addo, tam apud omnes confeſſæ, ut pro publica lege habeatur conſvetudo, cui in oeconomia noſtra utraq;, ſicut in Republica, obtemperandum. Delicatioribus tamen menſis recentium carnium juſcucula intrita, aut ſorbitiones cereviſiariæ vel lactariæ præmittuntur, contra priſcum Danorum morem. Didicimus id ex Germanis vicinis & Gallis, qvi à liqvidis omne prandium incipiunt. Idem Anglorum Regi ſchola ſalernitana olim ſvaſit, ut à potibus cœnam inciperet, qvos non de potu, qvamvis ita vivant Angli, ſed juſculis qvibuscunq; accipimus. Expendendum verò, qvid nobis magis expediat, ſolidosne cibos, more majorum, in

pran-

ndio præmittere, an exterorum
ore, qvi ſenſim increbuit, liqvida
cula, ſive carnium, ſive leguminum,
e cereviſiæ. Pro veteri noſtrorum
nſvetudine magna argumenta ſug-
it ventriculi conſtitutio, humida
bis, vitio ſcorbuti inqvilini, qvi ic-
cò ſolidis cibis ante firmandus &
borandus, qvam liqvidis oneretur,
ibus fluctuet. Calidioribus verò &
cioribus ventriculis humida prius
nvenire non negamus, qvo fine opti-
o conſilio Galli lactucas, betas, ali-
q; herbas humectantes & refrige-
ntes juſculis carnium incoqvunt.
o ſolidis addunt ingenioſi; prius ſo-
um fundamentum jaciendum, qvam
qvid ſuperſtrui poſſit. Sed nituntur
lſo fundamento. Neq; enim cibi
geſti laminatim compinguntur in
ntriculo, ſicut in tonna haleces; ſed
nc inde volvuntur, ſicut fermenta-
one partes locum mutant, & qvan-
am ſolidiora ſint alimenta; tamen
ante-

anteqvam in hanc ollam coqvinariam demittantur, maſticatione inciduntur aſperſâ ſalivâ,ut in ventriculo ejusdem humore imbuta,liqvida fiant, nec præter potum accedentem, alia dilutione indigent, præſertim ſi ex carnium & piſcium ſint genere, qvæ ſucco abundant. Hinc & corruit illorum ratio, qvi ollam prius liqvidis eluendam commentantur qvam cibus immittatur. Noſtri ventriculi nativa humiditate madentes, alio juſculo eluente opus non habent. Si calefaciendus eſt in refrigeratis, commodius id ſpiritu Vini vel Aqva Scorbutica, qvam juſculo calido lymphato præſtamus: ita enim & reſiduæ humiditates à priori coctione abſterguntur, & calor roburq; ventriculo accedet. Cæterum de ordine in cibis ſervando, ſingulari diſputatione egit *Marſilius Cognatus*, &, niſi fallor, Magnus Doctor noſter *Olaus Wormius* in Exercitationibus Medicis, qvi pro antiqva patriæ conſvetu-

tudine ſtetit tanqvam pro Troja
ollo.

Inter carnium recentium genera
æ ſeu aſſa ſeu elixa menſis qvoq; no-
s cottidie inferuntur eſt bubula ca-
, ovilla, ſuilla, anſerina, anatina,
linacea. Aliæ etiam avium ſpecies,
umbæ, perdices, turdi, paſſeres &c.
ſylvis Cervi, Capreoli, lepores, &c.
men ducit bubula caro multi nu-
nenti, noſtrisq; ventriculis robuſti-
bus concoctu haud difficilis. Bobus
andat patria, ut etiam præter qvo-
ianos incolarum uſus, multa millia
rcatores exportent, dictumqve ſit
ulari ſermone exterorum, ruſticos
Dania boves poſſe generare. Deli-
iores vitulinam ſubſtituunt, & grata
ietate alternant, robuſtioribus ta-
n adverſam, qvia mollior eſt qvam
ſtomachum valentem ſatis occupa-
qveat & exercere, unde Heroës o-
apud *Homerum* bubula carne aſſi-
veſcebantur. Huc vaccæ referun-

tur, qvæ niſi Tauræ ſint, rarius carne, niſi apud pauperiores, qvando defunctæ ſunt munere lactationis, lacte omnes ſatiant. Abundat hoc nutrimento & medicina. Eſt enim, teſte *Varrone* l. 2. R. R. c. 11. lac omnium rerum, qvas cibi cauſa capimus, liqventium maximè alibile. Nec mirum eſt, ſalutare eſſe alimentum, præſertim æſtivo tempore, qvum vaccæ paſcantur in pratis noſtris, herbis præſtantiſſimis gramini connatis, acetoſa, trifoliis odoratis, dente leonis, cichoreo, chamomælo, chryſanthemo, & mille aliis, qvarum qvinta eſſentia in uberibus velut in alembico extrahitur, ut in villa degentibus Vacca ſit inſtar Coc. & pharmacopœi. Qvam utile nutrimentum præbet ſanis, tam ſalutare ta[...] bidis medicamentum exhibet, im[...] tantum valet in podagricis, ut magn[...] auxilii loco ſit, qvod nonnulli in Gallia & Belgio nuper experimento ſu[...] confirmarunt. Cujus remedii uſur[...]

apu[...]

apud veteres qvoq; Medicos invenio. Apud *Celſum* l. 4. c. 24: qvidam cum aſinino lacte epoto ſe eluiſſent, in perpetuum hoc malum evaſerunt. Libri nonnulli *lotium* pro *lacte* habent, alii utrumq; conjungunt, cum aſinino lacte epoto, lotio ſe eluiſſent. Qvanqvam verò lotium in doloribus articulorum externè illitum, & aliis tumoribus eorundem, nonnullis ſciam maximè profuiſſe, & ad multa ſimilia commendet *Galenus* l. 10. ſimpl. Facult: hic tamen lac ſolum ſufficit, ut ſenſus authori Celſo conſtet, præſertim ſi cum *Lud. Nonno* l. 2. de Re Cib. c. 15. pro *eluiſſent* legamus *aluiſſent*. Conſentit Celſo *Plinius* l. 28. c. 9. & antea *Hippocrates* in fin. l. de Int. Affect. Iſchiaticis commendavit lac aſininum coctum, ut mirari cogar qvod *Jo. Petr. Arlunus* Comm. de Podagr. neget lactis aſinini potum ab ullo Medico propoſitum, imo lac nervis inimicum proclamet ex ſententia *Avicennæ* & *Serapionis*.

Dupliciter lac articulario morbo epotum medetur ex *Hippocrate* l. d. vel humectando æſtum articulorum ſiccum, vel purgando per alvum morbi cauſam. Addo temperari acre ſerum ad articulos delatum, & ſi eo alatur æger, benignum alimentum partibus præberi articulisq;. Familiaris hic ex lacte cibus plurima alia ſecum commoda trahit. *Hippocrates* qvidem 5. Aph. 64. ab uſu lactis eos excludit qvibus præcordia murmurant. Secus ſentiunt noſtri, qvibus lactis pingvedo hypochondria obſtructione liberat. Nuper mihi adfuit molitor in vicinia noſtra, ſexagenarius, qvi qvatuor continuos menſes lac bibit, cereviſiæ metu, à qvo ſibi hypochondria inflari ſentit.

De ovilla carne nihil dicam, ſeu vervecina, qvam eſui aptam omnes orbis incolæ nobiſcum fatentur. Neq; tantum corporum tutela pecori debetur, ut *Plinius* voluit l. 8. c. 47. Sed & victum ſuppeditat. Unde verius

Colu-

Columella l. 7. R.R. c. 2. ovilli pecoris primam fieri rationem ſi ad utilitatis magnitudinem referatur. Nam id præcipuè nos contra frigoris violentiam protegit, corporibusq; noſtris liberaliora præbet velamina: tum etiam caſei, lactisq; abundantia non ſolum agreſtes ſaturat, ſed etiam elegantium menſas jucundis & numeroſis dapibus exonerat. Nobis autem in patria pro uſu qvotidiano etiam greges ovium ſufficiunt. Carne nos veſcimur, & lanam lanificio linqvimus, qva tamen ruſtici ad veſtimenta ipſi utuntur. In Islandia & Inſulis Feroënſibus ea eſt ovium multitudo, ut non tantum ſalitarum carnium tonnæ aliqvot mille qvotannis à mercatoribus noſtris cum infinito numero tibialium ex lana confectorum inde afferantur; Sed ipſis incolis ad victum abundè reliqvum ſit, ut ſint inter incolas, qvi pro domeſtico uſu qvotannis 2000. agnos mactent.

Suilla caro potentiſſimè omnium ciborum nutrit, cujus rei ex Athletis certiſſimum indicium profert *Galenus* l. 3. de Alim. facult: ſi enim paribus exercitationibus parem molem alterius cibi pridie totum diem comederint, poſtero die ſtatim ſentient ſeſe redditos imbecilliores. Qvod ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo, verum etiam alimenti penuriâ macilentiores palam conſpiciuntur. At qvia glutinoſum ſuccum craſſumq; habet, eodem *Galeno* l. 7. Meth. c. 6. fatente, ſale primum conditur, mox fumo exponitur, ut ſale & fumo humiditas viſcoſa abſumatur & temperetur, fiatq; eſu ſvavis & ſalutaris, noſtris hominibus expetita. Cibus etiam olim in Dania uſitatus, qvem Starcatherus laudat apud *Saxonem* l. 6:

Diſcus herboſi vacuus ſaporis
Arietum carnes dabat & ſuillas &c.

P. P. Un-

P. P. Undecim qvondam proceres eramus
Regis Haconis ſtudium ſecuti
Hic prior Helgo Begathus reſedit ordine cœnæ.
Hic famis primæ ſtimulum licebat
Aridis pernæ natibus levare,
Ventris ardorem rigidi domabat
Copia cruſti.

Certè ſi ſimilibus nutrimur, proximè ad humanam carnem accedit, qvam ſimilitudinem ex eo qvoq; probat *Galenus* l. 3. Facult. Alim: qvod qvidam humanis carnibus qvaſi porcinis veſcentes, nullam ejus nec in guſtu nec in olfactu ſuſpicionem habuerunt; nam hoc à malignis hoſpitibus ac aliis qvibusdam factum eſſe deprehenſum eſt. Et, ut verbis *Simeonis Sethi* utar, niſi bene temperatum eſſet ſuis corpus, nunqvam malum nutrimentum in bonam carnem converteret. Eſt igitur inter ciborum noſtrorum genera, ut uſitatus maximè, ita nutrimento

præſtans, præſertim nobis Borealibus, qvibus non ita copioſè bilis in naſo fervet, & plerumq; fumo vel aëre ſiccatæ pernæ placent. *Olaus Magnus* l. 17. cap. 24. refert, Populis Aqvilonaribus morem eſſe, novæ nuptæ plebejæ conditionis, pro initiandis augendisq; armentis, & domeſtica ſupellectile, liberaliter donare porcam, ovem & vaccam, atq; marito eqvinos pullos, canem, felem & anſerem. Non malè. Nam ruſticæ villæ ſalus in his animalibus conſiſtit, ut neceſſariis ad victum & tutelam, ita maximè fecundis. Utroq; nomine Sus lutulentus palmam meretur. At recens illius caro & lardum, ſi à bilioſis avidius comedatur, facilè ob humidam pingvedinem putreſcit, & in bilem vertitur. Hinc Hebræis calidiore bile æſtuantibus, & ad lepram proclivibus, à Deo ſanitatis illorum arbitro, interdicta caro ſuilla. Nam in elephantiæ curatione *Celſus* l. 3. c. 25. ſvadet cibum ſine pingvibus, ſine glu-

glutinoſis, ſine inflantibus. Ita de Judæis *Tacitus* l. 5. Hiſt. ſue abſtinent, memoria cladis, qvod ipſos ſcabies qvondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Nuper tamen Illuſtris Burrhus Nobili Viro in Belgio autor fuit, ad elephentiaſis deformitatem depellendam, ut potu ex ſangvine ſuillo deſtillato uteretur, coriumq; ſuillum ecto circumponeret, qvod lepræ ſit alexipharmacum attrahens ad ſe luis ſtius venenum, niſi enim ſues eo corio munirentur, nunqvam fore immunes a lepra. Ruſtici ſanè noſtri avidius lardo veſci ſoliti, qvia corium una devorant, nihil mali patiuntur. Ex qva obſervatione, tibi alia ex corio porcino facta, de qvibus *Lucianus* lib. qvom. Conſcrib. Hiſt. proficua mortalibus judicamus. Interdictæ Judæorum genti carnis ſuillæ rationem alii Politicam comminiſcuntur, ne à porcis horti & agri, qvi erant in Palæſtina mœniſſimi, multisq; terræ fructibus,

 oleis

oleis & aromatibus ornati, balſamoq; florentes vaſtarentur. Cui tamen difficultati ruſtici noſtri fibulis ligneis occurrere ſciunt. Obſervatum illis, non niſi ingruente annonæ charitate vehementius effodi agros noſtros, ſed prudentioribus notatum, poſt glandium eſum, qvia calefaciunt, radices herbarum agreſtium appeti, ut refrigerio aliqvo & humore, calor temperetur. Hinc etiam lardi pretium augetur, qvod glandibus paſtum fuit. Compactior inde eſt ſuilla, & ad eſum ſanior, ut etiam Moszambicqvæ, qvod oppidum eſt Indorum in Inſula Praſio, caro ſuilla in deliciis ſit ægrisq; conceſſa, teſte *Linſchotano* Itin. Ind. cap. 4. cui calculum ſuum illarum terrarum qvas Sol rectis radiis aſpicit, peritus *Jacobus Bontius* de Med. Ind. Domeſticæ qvoq; ſuis extremitates, qvas noſtri amant, & ſtomachum epileptico puero, pro qvo Conſilium ſcripſit, *Galenus* permiſit. Porcelli integri, illorumq;

coɑi

octi pedes, apud nos muria condiun-
tur, gratum pariter & utile nutrimen-
tum nauſeanti ſtomacho præbentes.
e aliis carnibus, qvæ patria ſuggerit,
m ſylveſtrium, qvam volatilium,
via aliis communes, nolo alia Com-
entari, qvum de ſingulis accuratè
ſſerant *Lud. Nonnus* l. de Re Cib. *Petr.*
aſtellanus l. de Carn. Eſu. *Bruyerinus* l.
e Re Cib. aliiq; numero plures, ut ve-
res taceam. In Norvegiæ partibus
orealibus Alces ſunt freqventes, qvi-
us inſtar carnis bovinæ utuntur in-
olæ. Unum tamen hujus generis
nimal tantum cibi præbet qvantum
uo boves. Et qvandoqvidem in u-
m incolarum expetitur caro Alcis,
icto Regio prohibitum eſt A. C. 1573,
e venarentur incolæ Alces, niſi inter
ſtum S. Laurentii & S. Michaelis, ne
utiliter fera iſta conſumeretur, qvod
men A. C. 1596, 97, & 98. magna
nonæ charitate neglectum refert
trus Claudii Ad Hiſt. Animal. Norveg.
M. S.

M. S. qvam beneficio *Wilhelmi Wormii* Affinis & Collegæ honorandi, ex paternis ſchedis collectam habeo. Tanta enim tum rerum penuria premebantur Boreales, ut panem ex fœno, paleis, ſtipula conficerent, & corticibus arborum veſcerentur. Qvumq; propter magnam nivium vim Alces ſylvarum opaca qværerent, & ab Urſis & ab hominibus, fame urgente, ferè ad totius generis extirpationem, ſpreto etiam edicto Regio, petitæ & mactatæ ſunt. Cibus tamen ex carnibus Alcinis noſtro ventriculo minus gratus eſt, qvod ipſe experimento didicit immortalis memoriæ Vir *Olaus Wormius* ſicut teſtatur in Muſ. Worm. l. 3. Cap. 24. aſſam enim licet carnem tam duram & inſvavem eſſe, ut veſci ea haud potuerit qvum fruſto crudo ſangvineq; madente donaretur à Cancellario *Friſio*. Rangifera animalia maximam præſtant dominis ſuis utilitatem narrante *Olao Magno* l. 17. Cap. 27. vi-

deli-

elicet in lacte, pelle, nervis, oſſibus, ngulis, cornibus, pilis, ac carnibus ad ictum delicatiorem. Carnem ſale vandoq; condiri, & vento ſiccari onfirmat Major *Olaus Worm.* Finnos rte magica poſſe feras has cogere ut nulgeantur, addit *Petrus Claudii* in nim. Norveg. Deſcript. MS. unde magnus lactis & caſei proventus ad eos edundat. Cætera animalia perſeqvi on attinet, qvia urgente neceſſitate, pauperioribus omnia in nutrimen-um trahuntur, qvæ aliàs delicatiores eſpuunt. De Urſo Norvegico idem *ndalinus* ſcribit, qvod interna parti-m conformatione prorſus ſuem refe-at, ſaporemq; lardi ſuilli æmuletur, via & juniores Urſi in Norvegia in ſcam veniunt.

Ferculis carnium in menſis ap-onitur olus ſeu braſſica, cujus ſaluta-es laudes in alia Diſſertatione recen-uimus. Commendatur apud vulgus oſtrum jus braſſicæ tenue, qvod & famem

famem ſedet, & alvum laxet, & ad alia utile ſit. Nonnunqvam chærefolium, urticæ teneræ, acetoſa, endivia, ſpinachia ſubſtituuntur, grata ſangvini mundando fercula. Braſſica alba conditur aceto & cumino. Freqventior illius apud Germanos eſt uſus. *Platerus* ad faucium inflammationem commendat. Stomacho non ingratum ferculum, aceto & cumino braſſicæ cruditates temperantibus. Qvibus à noſtris baccæ Juniperi adduntur pari emolumento. Acetaria ex lactuca fiunt & endivia, aſparagis, portulaca. Magis conveniunt qvæ ex lupuli turionibus in aceto coqvuntur, obſtructionibus meſenterii utilia. Ut & betæ rubræ radices ſale & aceto correctæ, qvæ condiuntur pro hyemis menſibus raphani ruſticani teſſerculis & cumino. Hæc verò & ſimilia palato indulgentur, nec voluptates ſunt neceſſariæ. Qvo loco qvoqve cucumis habetur, tantis votis in cœna expetitus, ſed nul-

li, niſi

i, niſi æſtuanti ſtomacho, concedendus, imò neq; robori ſuo confiſis. Enimverò conſilio *Galeni* l. 2. Alim. Fac. omnibus pravi ſucci eduliis abſtinendum, etiamſi ea qvibusdam concoctu ſint facilia: nobis qvippe non advertentibus pravus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur, qvi poſtea exiguam ad putredinem occaſionem nactus, febres malignas accendit. Qvia verò venter delicatiorum præcepta non audit, ut minus noceat ea voluptas, vel recentes cucumeres aceto, oleo ſeu butyro, ſale vel pipere præparantur, vel condiuntur muria & ſeminibus anethi, qvibus humiditas abundans coercetur. Et ut diutius putredini reſiſtant, cortex pulpæ adjungendus. Deniqve qvi ſibi cavere prudenter volunt, teneriores ad conditūram eligunt, qvo nomine expetuntur qvi Dantiſco veniunt, qvanqvam nec illius artificii ignaræ ſint mulieres noſtræ, ſi cucumeres avellant

ante-

anteqvam maturitatem, vel pulpam grandiorem acceperint. Noſtris corporibus ex uſu eſt raphanus uterqve, major, & minor, cum ſale in prima cœna comeſtus, partim ut appetitum excitet, partim ut ad vias urinæ deducat ante ciborum adventum qvicqvid acrimonia præparaverit. Pro acetario vulgus noſtrum, ſanitatis ſtudioſum, turiones ſambuci vere primo decerpit, ea tamen cautione, ut ſi ſurſum verſus carpantur, per vomitum, ſi deorſum, per alvum expurgetur corpus. Condiunt & uvis paſſis minoribus, ut gratiores videantur. Lactuca familiaris eſt uſus tam vulgaris illa, qvam altera Agnina, cujus frigus & humiditatem corrigere ſciunt coci noſtri naſturtio hortenſi & dracunculo. Ad embammata ciborum nihil præſtantius ſinapi & aceto. Syrupi ribium freqventer apponuntur. Rubus Norwegiæ ſeu Chamæmorus conditus divitum menſas ornat, gratus pariter palato & vale-

tudi-

udini. Cæterum ſaccharo deficien-
e, mel à non paucis ſubſtituitur, vel
uccus ex dulcibus pomis, ne ſolem o-
ientem adorare cogamur.

Sunt alii in hebdomade dies, Lu-
næ, Mercurii, Veneris, Saturni, piſci-
bus dicati. Qvanqvam enim in con-
viviis ſolennibus fercula piſcium reli-
qvis, qvæ carnem continent, commi-
ceantur, & nonnunqvam etiam in
qvotidiano prandio, uſu ita exigente:
amen à piſcibus illi dies denominati-
onem acceperunt, ſive qvod princi-
pem locum in menſa noſtra occupent
piſces, ſive qvod apud alios Chriſtia-
nos religione ita jubente, ſoli piſces
um concedantur. Conſuluiſſe viden-
ur veteres valetudini mortalium,
qvod piſcium eſum à carnibus ſepara-
verint, & cuiq; ſuos dies aſſignaverint.
Diverſa enim ſunt alimenta, nec in u-
na ſede commode morantur. Et niſi
allor, qverelas ſtomachi audiet, qvis-
qvis animalia diverſorum elemento-

rum inter ſe commiſerit. Sed ad errores hæc pertinent. Ad piſces ipſos jam divertimur, qvorum ingens copia à mari noſtro, lacubus, & fluviis ſumminiſtratur ad uſum menſæ. Tanta piſcium multitudo in Septentrione eſt, ut fateatur *Jacobus Zieglerus* in Schondia, aringhas & aſellos & rhombos infinita prope copia menſas per maximam Europæ partem inſtruere: ipſaq; etiam oſtia Tyberis ſuſcipere hoſpitem piſcem miſſum à Septentrione. Qvorum piſcium copia in littoribus Daniæ, Norwegiæ, Islandiæ &c. freqventes mercatores invitat. Unde Norwegiam olim Aqvini tempore pro magno piſcationis qvæſtu habitatoribus plenam, nonniſi aliunde invectis frugibus & avectis inde piſcibus potuiſſe conſiſtere, teſtatur *Alb.Kranzius* l. 6. de Norveg. Et in Lapponia piſces canna ſeu menſura non libra diſtrahi, affirmat *Olaus Magnus* l. 4. c. 5. alibi verò in ſeptentrione non libra, ſed integris plauſtrorum magno-

nagnorumq; vaſorum menſuris divi-
i. l. 20. Cap. 16. Tot verò genera
iſcium in mari noſtro Balthico, &
acubus, piſcinisq; domeſticis occur-
unt, ut iis recenſendis pagina una vix
afficiat, qvibus coqvendis vix pro ſin-
ulis ſpeciebus, ſinguli in anno dies
afficiunt. Ea enim eſt incolarum no-
rarum felicitas, ut ferè pro ſingulis
ebdomadis vario piſcium genere
ienſas ſuas inſtruere poſſint, ſive ex
bere maris piſcatu, ſive lacuum piſci-
arumq; commoditate. * Ichthyolo-
iam ſeu Nomenclaturam animalium
iarinorum, fluviatilium, lacuſtrium
i Ducatibus Slesvici & Holſatiæ, &
mporio Hamburgo trivialium con-
ripſit *Stephanus à Schonevelde* Medicus
octisſimus, qvæ ex mari Balthico &
ceano Germanico, illabentibusq;
mnibus, fluviis, & mediterraneis lo-
is, curiosè pariter & eruditè collegit
illuſtravit. Omnes verò illi piſces,
alii numero plures, nobis ſunt com-

S 2 munes.

munes. At qvi menſis noſtris vulgò inferuntur, hi ferè ſunt: Accipenſer, aculeatus, aculeatus minor, albula minor, albula nobilis, Aloſa, Alburnus, Anguilla, Aphyæ, Araneus ſeu draco marinus, aſellus major, aſellus longus, aſellus varius, aſellus minor, aſtacus marinus, aſtacus fluviatilis, aurata, ballerus, barbus, blicca, cancer, cancer major, congrus, cyprinus nobilis, cyprinus latus, cyprinus brevis, delphinus, fundulus, halec, lampetra, lucius, muſtela fluviatilis, mytulus, oſtrea, orbis, pectunculi, paſſer, paſſer major, perca, perca minor, phoxinus, raja, rhombus aculeatus, rhombus clavatus & turbinatus, rhombus, rhombus lævis, rutilus, ſalmo, ſcombrus, ſolea, ſqvatina, ſcorpius marinus, ſqvilla, ſilurus, ſpirinchus, thynnus, tinca, truta. Horum qvidam marini ſunt piſces, alii fluviatiles & paluſtres. Utriusq; generis alii plebejas menſas ſatiant, alii ditiorum, qvo in numero

ſunt

ſunt cyprini omnes aliiq; perpauci. Qvi cum bonæ mentis ſorore vivunt, delphini carne utuntur, qvam pro lardo æſtimant, ut & aculeato, araneo, muſtela fluviatili, rhombo, ſcorpio marino, thunno, tinca &c. In Islandia Balenæ variæ ad incolarum culinas ducuntur, de qvibus alibi actum. Fluviatiles vel recentes menſis noſtris imponuntur, vel in aëre ſiccati. Illi qvidem pro delicatioribus, hi pro robuſtioribus: Verè enim *Galenus* l. 3. Alim. Fac. piſcium alimentum hominibus otioſis, ſenibus imbecillis, & ægrotis eſſe commodiſſimum, qvi verò corpus exercent, cibos poſtulare firmiores. Firmiores autem cibi ſunt, qvi vel plus alimenti ſubminiſtrant, ut carnes bubulæ & ſvillæ, vel diutius robur ſtomachi exercent, qvales ſunt carnes qvæcunq; fumo ſiccatæ, & piſces aëre vel fumo exſucci. Recentes vel elixantur vel aſſantur. Probantur ſanitatis candidatis aſſæ potius qvam elixæ,

qvia aqveus humor qvo abundant, aſſando abſumitur, qvi in elixis alia aqva addita augetur. Hinc Heroës apud *Homerum* piſcibus aſſis uſi dicuntur, & ipſe Servator noſter *Chriſtus* aſſos piſces cum diſcipulis ediſſe memoratur *Luc. 24. Joan. 21.* Elixi tamen noſtris moribus magis in uſu, qvi ne frigiditate aut humiditate noceant, vel cum aceto & butyro comeduntur, vel embamma ex raphano ruſticano cum aceto conficitur. Juſſulentos verò piſces non laudo, qvanqvam aſellos recentes, anguillas, rhombos aliosq; modo iſto præparet vulgus, niſi variis aromatis nigrũ jus acuatur, qvem coqvendi modum nuper ex Polonia adſcivimus, frigidioribus ventriculis accommodum, qvorum aromatum loco *Galenus* olim oleum, anethum, porrum & ſal elegit. Aſſos piſces cum butyro & ſucco citri amant gulæ mancipia, non ſine ſanitatis emolumento. Succo tamen citri acetum noſtrum ſubſtituitur

tur ab aliis, qvi faventem *Hippocra-*
tem habent l. 3. de Diæta, ubi autor eſt,
elixos piſces ex muria edere oportere,
aſſos verò ex aceto. Qvem etiam in-
terdum noſtri ſeqvuntur, qvando mu-
ria cum aceto cônditos piſces in men-
ſa exhibent. Anguillæ laus popularis
eſt. Cujus varii coqvendi modi ſunt,
qvos non tangam, ne gulæ proceribus
adnumerer. Coctilia pulmenta exin-
de in cacabo olim Craca Rolleri Mater
confecit, ſed illis ad Magicas artes abuſa
fertur à *Saxone* l. 5. Hiſt. Dan. qvippe
ſapido iſtius epuli guſtu, rationis atq;
eloqventiæ ſummam, nec non geren-
dorum proſpere conflictuum gratiam
aſſeqvutus privignus illius Ericus vide-
batur. Anguillæ qvidem in ſimilem
pulticulam à Cocis adhuc coqvuntur,
diſpari eventu, nam cum ventriculo in
gratiam redeuntes convivæ de fame
feliciter profligata triumphant. Piſci-
um marinorum pleriq; qvia tanta illo-
rum copia, ut nec recentes edi poſſint,

nec ab inqvilinis conſumi, vel ſale condiuntur, vel in aëre ſiccantur. Sale conditi piſces noſtris ſalutares, qvippe ſal, *Galeno* atteſtante l. 3. Alim. Fac. corporum, qvibus admovetur, humores ſuperfluos tenuat ac digerit, & præterea corpora ipſa cogit in ſeſe, ac condenſat. Hinc tanta ſalſamentorum encomia apud veteres, qvibus illa in deliciis erant, qvæ nobis pro neceſſario familiariq; alimento, imò alimento medicamentoſo. *Hippocratis* enim de ſalſamentis eſt judicium l. de Diæta: ſiccare & attenuare, pleraq; etiam alvum leviter movere. Qvibus dotibus prædita ſalſamenta ſcorbuticis noſtris corporibus mille beneficia præſtant. *Celſus* qvoq; l. 1. c. 2. imbecilli ſtomacho conſulturus, cibum à ſalſamentis, oleribus ſimilibusq; rebus melius incipere ait, tum carnem aſſumendam eſſe, qvæ aſſa optima, aut elixa eſt. In aliorum morborum curatione iisdem feliciter inſiſtit *Alexander*

Tral-

Trallianus l. 7. c. 6. ut mirari nemo debeat, cur noſtris ægris pariter & ſanis ſalſamenta placeant. Miror verò illos, de qvibus refert *Simeon Sethi* l. de Alim. Fac. qvod cavendum moneant à ſalſorum piſcium eſu, poſtqvam alicui vena inciſa eſt, qvia tum vitiligines & ſcabiem ſæpe gignunt. Credulitati vulgi id imputandum, qvia nulla ratione fulcitur, nec experientiâ noſtrorum hominum, qvi ſalitis piſcibus innoxiè nulla dierum habita diſtinctione veſcuntur. Salis ratione nonnunqvam provocato ſudore, ſcabies prorumpit in cacochymicis, etiamſi Venæ ſectio non præceſſerit, ſed hoc ſero in corpore impuro ſtagnanti imputandum, non piſcibus ſalitis, qvorum idcircò commendandus potius foret eſus qvam inhibendus. Sudorem fluere ex uſu piſcium ſalitorum, nec ſatis elutorum, in prandio ſæpius in me expertus ſum, qvi etiam odore halecis ſaliti coctì vel carnis ſalitæ in madorem faciei ſolvor.

 Sal-

Salſamenta verò omnia benè eluenda ſunt & maceranda diu multa aqva, alioqvin, ut loqvitur *Plautus* in Pœnulo,

Olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis.

Sale autem condiuntur piſces, judice *Olao Magno* l. 20. c. 27. ut longius diutiusq; interni ſapores illæſi permaneant, qvorum maximus & neceſſarius ſit uſus in caſtrorum obſidione & claſſica pugna. Oeconomicam aliam rationem jam ante adduxi. Blandimur qvoq; palato ad recentes piſces nauſeabundo. Alii ſalis acrimonia excitati ſe ad pocula invitant, qvibus multum roboris athletico corpori & ad labores imperterrito accedere credunt. Inter ſalitos piſces eminent aſelli, haleces, ſalmones. Aſelli omnes, major, longus, varius, minor ſale condiuntur & grati cibi ſunt. Nec audiendus hic *Galenus*, qvi l. 3. Fac. Alim. negat piſces mollis carnis & excrementis vacuos ut

s ut qvos ſaxatiles vocant, & aſellos,
vi in puro mari degunt, ad ſaliendum
ſſe accommodos: qvemadmodum e-
im corpora ſicca ſalita, coriis eva-
unt ſimilia; ſic contra qvæ immodi-
a humiditate diffluunt, ſalis com-
ercio contabeſcere. Reclamant ſal-
mentariorum officinæ, aſellis ſalitis
efertæ, docentq; ſalis modum, ne vel
i piſces diffluant, vel illi indurentur
ræter modum. *Guido Pancirollus* Tit.
5. de Nov. Rep. de aſello ſalito verba
ecit, ſed nomen ignoravit. Solet, in-
vit, ſale condiri piſcis qvidam, qvem
Moronam dicunt, cujus nulla nobis
ſt noticia. Ejus tamen caro ex mari
Danico advehitur. Apportantur & a-
ii piſces ſaliti, qvos Haleces dicunt,
ole indurati & exſiccati in Svetia &
Nortvegia: item Marluci vulgò dicti,
vos duritie ſuâ vel ligno adſimilare
oſſis. Nullum verò horum piſcium
eteribus in uſu fuiſſe credo. Qvid
ioqvi Morona ſit, ignoro, niſi à Gal-
lica

lica voce Moluë ſit depravata, qvæ A-ſellum majorem ſalitum ſeu muria conditum notat, Gallis jejunii diebus familiarem. Marlucius *Bellonio* dicitur albula minor, ſeu aſellus candidus & mollis, qvi in aëre exſiccatur in uſus menſarum noſtrarum. Haleces verò exſiccati ex Svecia & Norwegia allati, bonitate cedunt Anglicis harengis, fumo induratis. Pingviores enim hi ſunt, nec ita eapropter ſicci. Halec verò muriaticus in deliciis æſtate eſt, ſi detracta pelle, crudus cum cepis comedatur & aceto. Coctus qvoqve recenti præfertur, famem excitat in delicatis, ſedat in iis qvi pro neceſſario alimento ſumunt, & his & illis utilis. Sterilem enim meſſem Medicorum eſſe qveruntur experti, qvamdiu halec muriaticus circa feſtum S. Johannis cupidorum ventres ſatiat. Parcior ſum in hujus Harengi hiſtoria, qvia multorum aliorum induſtriam fatigavit, qvorum ſcrinia compilare nolo. Legantur

gantur de illo *Tulpius* in Obſervationibus, *Schoneveldius* in Ichthyologia, *Neukrantzius* de Harengo. Incertas vagasq; ſedes hujus piſcis mirari ſubit, qvippe olim littoribus Scaniæ vicinis tanta freqventia ſe ingerebat, ut univerſæ ferè Europæ de halecibus ſalitis proſpicere potuerint mercatores peregrini, qvi ex Belgio & civitatibus Hanſeaticis immunitate Regum Daniæ muniti illuc confluxerant. Nunc verò iſtis ſedibus relictis alia littora legunt haleces. Apud Nidroſienſes & Cimbros piſcaturæ jam clarent. Qvæ cauſa haleces loco pellat, alii divinent. Sonitus tormentorum majorum incuſant nonnulli, vel rerum viciſſitudines. Certum autem eſt à littoribus noſtris ſæpe fugari à Phocis marinis, certumq; indicium habent piſcatores viſo aculeato piſce, halecum piſcaturam deficere, qvia ab illo hoſte fugantur. Salmo recens palato ſapit, ſed ſale conditus ſtomacho, domito lento ejus per ſalem

lem ſucco, qvo aliàs abundat præpingvis caro. Alitur enim angvillis, qvas etiam ex inteſtinis ejus affuſa aqva prodire ſeu generari obſervatum. Mare noſtrum & fluvii menſis divitum nonnihil ſumminiſtrat. Sed in Norwegia felicior eſt piſcatio, unde nobis ſalitus ſalmo copiosè apportatur, teſtaturq; *Petrus Claud. Undalinus* in M.S. Hiſt. Animal. Norweg. A. C. 1550. & nonnullis annis præcedentibus ex Mandal exportatas fuiſſe ſaliti Salmonis tonnas noſtras ultra 1200. præter Salmones recentes qvi domi comedebantur, & alios qvi in uſum familiæ cujusqve ſaliti cuſtodiebantur: eſſe enim inter ruſticos ejusdem loci, qvi in familia ſua ſingulis annis tonnas ſex vel octo ſaliti ſalmonis conſumant. Regem hunc piſcium marinorum, etiam conviviis honoratum, tam recentem qvam ſalitum, ut palato gratior ventriculoq; utilior accedat, tingunt comedentes vel embammate ex rapha-

no

o ruſticano & aceto, vel ſolo aceto
ambucino, Rubi Idæi, roſarum, etiam
oloris ſimilitudine eleganti ſpectacu-
o, menſisq; nobiliorum digno. Inter
amigatos piſces, ſalmonum genus cæ-
eros omnes præcellit *Olao Magno* l. 20.
. 26. atteſtante, eò qvod vices omni-
m eſcarum ſua bonitate ſuppleat,
um qvod ante qvemlibet potum eſus,
ratum appetitum paret: eſſe enim &
iatoribus in ſeptentrione gratam &
aratam eſcam, crudos enim ſalmo-
es optimum ſaporem habere. Ex
imbria noſtra ſiccati in aëre meli-
ris notæ afferuntur, qvorum ſecu-
tatem ex robore ſtomachi meti-
ur, qvi ſanis omnia ſana, vel come-
entium appetitu & deſiderio qvo
iam imbecilliores innoxiè ſublevan-
ur. Idem judicium eſto de paſſerum
ajorum pinnis ſeu ſegmentis, vulgo
aff/Keckeling dictis, inter menſæ deli-
as habitis, qvanqvam & duritie car-
s exſiccatæ & pingvedine ventriculo
deli-

delicatiorum moleſtis. Hiſce tamen cum embammate ex ſinapi avidè veſcimur, noviq; cætera valetudine minus firmâ præditos, hujus edulii fructu gaviſos cum alia averſarentur fercula ciborum boni ſucci. Dici non poteſt qvantum cupitæ rei deſiderium, etiam deterioris, apud mortales valeat, & qvanta cum utilitate ventriculus concoqvat, qvæ inſolita voluptas deſtinavit. De robuſtioribus non loqvor & rebus durioribus aſſvetis, laboriq; herculeo. Illis enim à nullo ciborum genere venter dolet, ut neq; aſelli, qvos duritie vel ligno comparavit *Pancirollus*, negotium faceſſere poſſint. In horum tamen aſellorum ſiccatorum duritie, plerorumq; in Septentrione ventriculorum ſalus vertitur. Nonnullis enim & loco panis & obſonii ſunt, ubi ſteriles agri. Duplici verò modo ſiccantur aſelli, vel ſaliti vel ſine ſale. Priori modo exemptis interaneis & oſſibus plerisq;, inprimis

ſpinæ

pinæ dorſi Aſelli longiores modico
le conſperſi & explicati per æſtatis
lidioris & ventoſi tempora in ſcopu-
s Norwagiæ & Islandiæ vel littoribus
bulosis exponuntur & nonnihil ſic-
ntur, ut molliores tamen apprehen-
entibus & comedentibus videantur.
vod ſi humida fuerit æſtas, facilè
rrumpuntur in ſcopulis, nec cando-
m illum ſervant, qvem in reliqvis
ſervamus. Hinc à ſcopulis in qvi-
s ſiccantur, Klipfiſk vulgò appellan-
r. Alio modo ſine ſale aëri expoſiti
cantur & duriuſculi evadunt, qvia
ale humiditas nulla communicatur,
vel ſpinæ eximuntur, qvod genus
otſkier dicitur, vel relinqvuntur,
od Bergefiſk nominatur, à celebri
orwegiæ metropoli Bergis, unde co-
oſius olim exportabatur. Ita enim
. *Kranzius* lib. 1. Norwag. Præf. Ge-
ra piſcium grandia cum mediocri-
s, aëri exponunt torrefacienda: qvæ
arefacta, per Germaniæ littora de-

 vehun-

vehuntur. Noſtris mercatoribus (Bergas Latini vocant in regno) piſcatores afferunt de longinqvo venientes demorantibus. Majorem hodie copiam Islandia mittit, majorum minorumq;. Inter minores aſellos & juniores ſunt, qvos Titling vocamus, qvi rarò ſale condiuntur, de qvibus forſan explicandus *Galenus* l. c. minus ad ſaliendum eſſe commodos. Errare porrò illi mihi videntur, qvi à muria arida ταρίχη piſcium Romanis vocata, omnino ſeptentrionalium Stockfiſk eſſe ſcribunt: qvippe noſter aſellus, qvem Stockfiſk vocamus, ſine ſale vel muria ſiccatur. Rectè verò Stockfiſk dicitur, qvod rude ac bacillo verberetur anteqvam coqvi poſſit, ut durities molleſcat. Iccircò tamen aſellos vocari, qvod ferulam ſemper experiri debeant, præter antiqvitatis conſenſum magnus alioqvi *Jacobus Cujacius* exiſtimavit in Recitat. ad c. 3. ex. de feriis. Ὀνίσκοι enim & Græcis dicebantur ante inventam ſic-

can-

ndi artem, à qvibus Romani edocti
ellos reddiderunt, idqve à colore
rem referunt, ſi credimus *M. Varro-*
de L. L. Propter tantam aſellorum
ritiem, qvam exſucci habent, mi-
ntur, nonnulli qvod concoqvi poſ-
it à Borealibus, qvibus ille cibus eſt
otidianus. Mollior autem eſt qvi
e prius conditur, qvam aëri ſiccan-
is exponitur, ideoq; facilius à ventri-
lo domari concedunt. At pro aſel-
prorſus ſicco & exſucco acuendus
t nonnihil calamus, in defenſionem
bi vulgaris, qvo aliqvot myriades
minum qvotidie nutriuntur. Poſ-
m brevibus rem expedire & ad expe-
entiam tot incolarum provocare,
i iſto cibo hactenus ſani ſaturiq; vi-
runt. Cæterum rationibus prius
nnia experiri certum eſt. Enimverò
eſt Borealium ventriculorum con-
tio, ut duris cibis indigeant, qvia
buſtiores. Ventres hyeme calidio-
s, dixit *Hippocrates* 1. Aphor. 15. ea-

 dem-

demqve ratione Borealium ventriculi calidi cenſendi, qvia cum regione hyemem qvaſi inhabitant. Per ea igitur tempora copioſiora cibaria exhibenda, ſiqvidem plurimus eſt calor nativus. Addo & ſolidiora cibaria, qvibus ventriculus calidus vires ſuas exſerat. De mollibus piſcibus *Galenus* l. 3. Fac. Alim. differit, illorum alimentum hominibus otioſis, ſenibus imbecillibus, & ægrotis eſſe accommodatiſſimum, qvi verò corpus exercent, cibos poſtulare firmiores. Exercitatione enim calor augetur, qvi, niſi dura alimenta occurrant, in proprium humidum ſævit. Hinc videmus meſſores noſtros & tritores, niſi duriſſimis cibis ſatientur, labori eſſe impares. Si ad ciborum concoctionem in ventriculo acidus humor reqviratur, qvod nonnulli ſuſpicantur, qvia acida omnia ventriculo grata; certè Borealibus copioſus ille eſſe creditur, qvia à ſcorbutica diſpoſitione lienes ſatis magnos ha-

bent,ubi acidi humoris ſedes fertur.
ccitas autem aſellorum coctioni ob-
e non poteſt magis qvam ſiccitas
ni impedire qvo minus eqvus benè
triatur. Maſticati enim aſelli, ſaliva
tim imbuuntur & molliores fiunt;
tioresq; ad coctionem in ventriculo.
eganter coctionem iſtam illuſtrat
btiliſſimus *Renatus des Cartes* De
omine §.3. nempe fieri illam vi qvo-
ndam liqvorum, qvi in cibi poros
abentes, ipſum ſeparant, agitant, &
efaciunt: liqvores à corde per arte-
s deductos calidos eſſe, & cibum ut-
rimum ejus naturæ, uti ſua ſponte
rrumpatur & calefiat, ſicut fœnum
midum in horreo. Ut ex noſtris
am huc ſymbolam conferamus,
tum eſt ſalivam noſtris hominibus
rbuticis eſſe plurimam in ore per
a ſalivalia allatam, eamq; eſſe aci-
m, qvia lympham noſtram acidam
obſervarunt, unde iſta ſaliva aſelli
i imbuti molleſcere poſſunt, præ-

 ſertim

ſertim ſi copioſiore potu diluantur, qvod negligere non ſolent meſſores. Cibus autem iſte ditiorum qvoq; menſas ornare cœpit, qvi neceſſaria vulgi alimenta ad voluptates trahunt. Ita ſvaſit olim *Celſus* l. 1. c. 1. ne ſani ullum cibi genus fugiant, qvo populus utitur: modo plus juſto, modo non amplius aſſumere: bis die potius qvam ſemel cibum capere, & ſemper qvam plurimum, dummodo hunc concoqvant. Ita verò præparant aſellum ſiccum, ut inter dura edulia numerari non poſſit, ſed inter εὔπεπτα & gulæ delinimenta. Primum enim lixivio forti per aliqvot dies macerant, tum aqvæ puræ immittunt. Nonnulli fuſte verberant donec tractabili mollitie igni coqvendo committatur, cujus vim ſatis diu expertus, vel integer vel in majuſcula fruſta diſſectus butyro multo & ſale conditus menſis infertur. Ita duritiem ſuam amiſit, & ſiccas adhuc partes, ſi qvæ ſuperſunt, butyri pingvedo

& ſa-

ſalis humiditas abunde corrigit. t ne aliqvid deeſſe videatur, minutal onficitur, in minutiſſima truſtula iſcerpto aſello antea cocto,& in ſartaine cum butyro, cepa,herbisq; virenbus frixo. Nonnulli juſculo in teſſeis diſſectum coqvunt cum aromatius, ut cochlearibus ſorbeatur, & vais allis modis ad uſum menſarum æparant, qvos coci noſtri melius noant demonſtrare, qvam ego deſcriere. De eo deniq; ampliſſimum enomium extat *Olai Magni* Archiepiſcopi pſalienſis l. 20. c. 26. veritati prorſus onforme: Cocti, inqvit, ac ſalſo buyro reſperſi, menſis etiam Principum, t nutrimentum deſiderabile & volutuoſum, imponuntur. Poſtea diverſi eneris recentes piſces cum ſiccis alernato ordine,& feſtivitate, obſoniis nterpoſitis eduntur, præſertim in eoum ſympoſiis & ædibus, qvi luxum & licitatem in eſca reponunt. Reliqva ominum turba cœli rigore ſemper

urgetur, ut non qvam delicata, ſed qvam fortia comedat, curam habeat. Annotari meretur qvod refert *Arnoldus Huitfeld* in Hiſt. Chriſt. Primi Regis Daniæ, inter dona Regia Sixto Qvarto Pontifici Romæ oblata à *Chriſtiano* Primo A. C. 1474. in urbe præſente, fuiſſe Aſellum ſiccum, halecem, & Muſtelam albam, qvæ inter pretioſiſſima Rex optimus reputabat, ex tribus imperiis Daniæ, Sveciæ & Norwegiæ, qvibus præerat, ſelecta. De reliqvis piſcibus noſtris, eodem modo ſiccatis, deq; aliis aſellorum partibus vel cum ſale vel ſine illo arefactis, ut capite, collo, veſiculis &c. ex qvibus ferçula non ingrata, nec periculoſa parantur, plura verba non perdam, ne cocus magis videar qvam Medicus, aut popinam inſtruere, ſiqvidem inſtituti rationem aſſeqvutus ero, ſi victum Danorum Medicis legibus congruum probavero, & temperamento incolarum qvanqvam aliis nationibus id vero

non videatur ſimile, qvæ aliorum
vendi normam ſuis moribus meti-
tur, haud expendentes aliud cœlum
am vitam poſtulare, & cujusq; regi-
is mores ſibi proprium ex conſve-
dine victum ſaluberrimum præſcri-
re. Qvia ita fert occaſio, diebusq;
cibus deſtinatis à veneranda anti-
itate, immiſceri nonnunqvam pul-
ſolent ex hordeo, tritico, avena,
opyro minutim in mola contuſis;
taceam peregrinam orizam, mi-
m, & alia qvæ lubens ſilentio in-
lvo, qvia nobis domeſtica alia ſup-
unt pro pultibus, ut ex India vel
rcarum imperio ea advocare ne-
ſe non ſit, imò fruſtranei operis &
erflui: abs re non erit ab injuriis
obtrectationibus malevolorum pa-
æ incolas vindicare, qvi nullo me-
o malè audiverunt non ita pridem
m fortunam experirentur adverſam,
od pulte veſcerentur, qvaſi nover-
tis fortunæ autore. At ſi in con-

tumeliam cedere debet naturæ benignitas, qvis deniq; ab injuriis tutus erit? Inter patriæ enim bona referimus hordei, tritici, avenæ, ſegopyri, leguminum proventum, qvibus, ne nauſea oboriatur, varia arte in varios cibos mutatis utimur. Pultis forma pluribus placet, qvia eſui commodiſſima, nec valetudini adverſa, ſive materiam expendamus, ſive formam. Materia ex optimo nutrimento eſt, qvâ omnes, etiam obtrectatores, pro pane utuntur. Forma commoda eſt & ventriculo apta. Neq; enim tam ſicca eſt, qvam panis, commune omnium alimentum, neqve tam fluida, ut juſculum, ſed mediam conſiſtentiam nacta eſt, qvæ & ſolidi & liqvidi cibi vice ſit, & à ventriculo facilius concoqvatur qvam panis, tardius qvoqve qvam juſcula, optimeq; nutriat. Pultes ex ſegopyro & hordeo ventrem qvoq; humectant, & aliorum frugum pulticulæ, varia commoda præſtant,

pro

pro vario coqvendi modo. Ne verò officiant ſtomacho, butyrum diligenter incoqvitur, & decoctis imponitur, ne alvus obſtipetur, & cereviſia inſuper vel lac ſuperadditur. Utq; magis & nutrire poſſint & ventri prodeſſe, cum lacte coqvuntur, vel cremore lactis, vel lacte ebutyrato, rarius in aqva, niſi pro pauperioribus, vel ægris, qvibus lac vel deeſt, vel officit. Deniq; addito ſale, cumino &c. frugum flatulentia, ſi qvæ timeatur, emendatur. Nihil video, qvod in ſanitatem peccet, nihil qvod ad edulii gloriam non ſpectet. Habet pro ſe priſca Danorum ſecula, qvæ fortunam proſperam virtute ſua vel habuerunt, vel meruerunt. Habet faventem omnem antiqvitatem, cujus magna eſſe ſolet veneratio. Habet deniq; fautores, etiam Principes, qvibus tutò ignominioſis dicteriis nemo illuſerit. De antiqvitate fidem facit *Plinius* l. 18. c. 8. Pulte, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos,

manos, qvoniam inde & pulmentaria hodieq; dicuntur: & Ennius antiqviſſimus vates obſidionis famem exprimens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat. Et Romæ illius ævo ſacra priſca atqve natalium pulte fitilla conficiebantur; videturq; tam puls ignota Græciæ fuiſſe, qvam Italiæ polenta. *Cato* de R. R. c. 75. libum uſitatum ex farina ſiliginea, caſeo & ovo deſcribit, & pultem punicam coqvit cum melle c. 85. *Apicius* l. 5. R. Cul. c. 1. pultes Julianas, œnagri, tractogalæ, aliasqve docet, qvanqvam materia varia ſit à noſtris, formam tamen eandem noviſſe non ruſticos tantum, ſed Principes liqvet ex *Apicio*. De Juliano Imperatore autor eſt *Ammianus Marcellinus*, qvod ſub columellis tabernaculi in caſtris parcius cœnaturo, non cupediæ ciborum, Regio more, ſed pultis portio parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda Gregorio. Medicis qvoqve Romanis pulticula

haud

haud ignota. *Celſo* l. 2. c. 30. Pulticula vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio memoratur, & c. 18. pulticula ex frumento eloto imbecillimis cibis annumeratur, qvia ſcilicet lotione lentus humor abſcedit, qvi nutrit, qvem noſtræ pultes retinent. *Scribonius Largus* Comp. 189. pultis meminit ex farina triticea cocta, cum plurimo adipe anſerino, contra cantharides. De hoc adipe anſerino multa legi poſſunt apud *Plinium*; ſed mihi occurrunt ruſtici noſtri, qvi eo adipe & olera condiunt & pultes pingves reddunt in butyri inopia vel parſimonia, ut certiores ſint autoritate *Largi* ſine detrimento validi ventriculi id fieri. De Borealibus aliis refert *Olaus Magnus* l. 19. c. 10. qvod etiam illi adipe anſerino domeſtico in cibis condiendis loco butyri utantur: etiam in medicinis ad perfrictiones, convulſiones, cœcosq; dolores ſubitos, ad rimas labiorum, totiusq; vultus ortas ex frigore. Eſt qvippe

pe ſuillo calidior, teſte *Galeno* l. 11. ſimpl. Med. Fac. & hinc magis penetrans, ut etiam obtundat qvæ in alto corpore mordicant. Videant igitur & erubeſcant, qvi nullo jure exprobrant Danis, inprimis Inſulæ Fioniæ incolis, ubi lætius fegopyrus provenit, pulticulæ uſum qvotidianum, qvo nec hebetiores evadunt nec emaſculantur, ſed antiqviſſimo cibo optimè nutriuntur, ut nullum ſit opprobrium ſi cum Romanis ſtrenuiſſimis illis terrarum victoribus, comparentur, qvos Pultiphagos vocabant olim aliarum gentium Cenſores Græci. Hinc *Plautus* in Moſtellaria:

Non enim hæc Pultiphagus opera fecit Barbarus.

Ut autem pulticula dignitatem ſuam & cives ea fruituri incolumitatem ſervent, in coqvendo modus ſervandus, & in comedendo, hujusq; opinæ ſtudioſis inculcandum πολυθρύλλητον illud: Ne qvid nimis. Panis dehinc noſtri haben-

habenda ratio, qvem ex tritico, & ſiligine pinſimus, pauperiores ex hordeo, avena, piſis, cicere. Singulis ſua ineſt virtus. Triticeus candidus eſt, divitibusq; acceptus, & alvum laxam habentibus, ſed qvia obſtructiones facit, podagræ & calculoſi affectus occaſio oritur. Ex avena panis extenuat, refrigerat ex hordeo, ex piſis flatus generat. Optimus igitur ille qvi ex ſecali pinſitur, Septentrioni noſtro familiaris, cum furfuribus & fermento, qvod is & benè nutriat, & facilè per alvum ſuperflua eliminet. Nimis auſterum de hoc frumenti genere eſt judicium *Plinii* l. 18. c. 16. qvod ſit deterrimum, & tantum ad arcendam famem utile, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum. Diligenti enim cultura & coctura & cribro ita nonnunqvam candicat, ut meliorem panem non optemus. Vidiq; ex ſiligine panem, qvi triticeo vix cederet. Secale Dantiſco affertur, ſed nobis bonitate ſimile frumentum in Selan-

Selandia & Cimbria provenit. Candidiorem verò panem ſumminiſtrat ſecale primo vere terræ commiſſum, qvam autumno. Ex abietis corticibus in Norvegia panem conficiunt frugum inopia, & in regionibus frigidioribus Boreæ, ex glandibus, corylo ac fago. Placentæ illæ Norvegicæ ex corticibus arborum compactæ ſunt tenuiſſimæ, & longiorem ætatem ferre poſſunt, qvam panis biſcoctus ſeu buccellatus, qvo nautæ in longis itineribus utuntur. Alias placentas pinſunt ex farina hordei & avenæ, qvas Flad=brød vocant, qvaſi panes planos, *Plinii* artoptitii creduntur, de qvibus l. 18. c. 11. in laminis ferreis tenuiſſimis qvas ſubjectus ignis facile penetrat, vel, ut narrat *Petrus Claud. Undalinus* Deſcript. Norweg. c. 16. in rotundis excavatiſq; ſaxis, qvem modum pinſendi panes ibidem uſitatum ex gentis & regionis neceſſitate laudat laudatus Undalinus. Paucis enim in locis ſiligo ſeritur & hor-

ordeum purum non eſt, ſed farrago
lerumq; provenit, qvippe ob regio-
is frigus, hordeum & ſecale in ave-
am ibidem locorum transmutatur.
t farina hujus farraginis in iſtas pla-
entas cocta ſapidior eſt, qvam ſi in a-
os panes efformaretur, præſertim ſi
onnihil farinæ ſiligineæ addatur. Ad-
æc iſto genere panis robuſtiores ven-
iculi optimè nutriuntur, & citius ſa-
antur, cujus ingens diſcrimen notant
rrarum iſtarum gnari. Accedit, qvod
ucidus non fiat, aliorum more, ſed
vo vetuſtior, eo guſtu gratior; ſerva-
poteſt ad annos 15, vel 20, imò 40.
ovum enim non eſt, panem hunc
mpore nativitatis cujusqve coctum,
rdurare ad nuptias, & nepotum na-
vitates; amarorem tamen concipere
ſervatus, ſi teredine culpa vetuſtatis
rietur. Ratio Politica alia id genus
nis commendat. Sæpe enim in Nor-
gia frumenti inopiâ ingraveſcit an-
na, ſive qvod vere frumentum ter-

ræ commiſſum frigore pereat, ſive æ-
ſtatis calore, qvi inter ſcopulos ingen-
eſt, areſcat, ſive frigore impediatur in
meſſe ne matureſcat, adeoqve inutil-
evadat ſementi, ſive pluviis vere ſuffo-
cetur. Hinc incolæ providi pruden-
ter conſtituerunt ut ex pane iſto arto-
ptitio ſemper pro annuo victu pen-
ſuum domeſticum habeant inſtru-
ctum, ordine repoſitum & per tabula-
ta qvaſi diſtinctum. Major verò in hi-
ordinibus reponendis & numero au-
gendis veterum eluxit cura, ut dene-
gato bellorum injuriis commeatu, an-
nonæqve caritate ingruente, pro victu
unius anni vel plurium neceſſarius pa-
nis ſufficeret. Medici judicium de pla-
centis iſtis qvi deſiderat, ſciat tantan
ſalubritatem ineſſe, qvanta pani bis
cocto, prorſus duro & exſucco. Curi-
oſitate ductus guſtavi, & inſipidas pen-
deprehendi, amplas, circulares, perte-
nues, farina conſperſas, qvas tame-
nemo delicatior cum triticeo pan-
noſtr

[n]oſtro vel ſiligineo permutaret. Ipſis [n]ihilominus incolis Borealibus ſua [ſ]orte contentis tam illæ placent, qvam [n]obis noſtræ, videmusq; validiora eſſe [c]orpora qvæ patrio more & conſveto [a]luntur, qvam qvæ peregrino luxu à [p]riſca vivendi norma deflectunt. Ita [n]on pauci noſtrum ſeducti, novos pa[t]res cum moribus novis amplectimur, [e]t, qvod dolendum, ipſis cibis novos [m]odos induimus, à priſca ſimplicitate [e]t integritate alienos. Nolo ad pla[c]entarum & artocrearum infinita ge[n]era oculos vertere, ne communi er[r]ore ſeducantur. Olim in patria placebant orbiculi pomorum incruſtati, [v]el placentulæ ex balſamita in butyro [fr]ixæ, utiles & ſtomacho frigido & he[p]ati, uti & ſimpliciſſimæ ex herbis vi[r]entibus, inprimis chærefolio, qvarum [p]ræſtantiam ſatis laudare nemo poteſt. [S]ed cæteris eduliis omiſſis ex variis, cibis [p]aratis qvi nobis cum aliis communes [ſu]nt, ad bellaria properat animus, &

 men-

menſam ſecundam, qvæ non ornata tantum, ſed opportuna ex fructibus patriæ reſplendet. Fraga in prima menſa commodius apponuntur, eaq; lota, ne millepedum vel ranarum infectione noceant. Saccharo vel vino à ſanitatis ſtudioſis temperantur, ne nimio frigore ventriculum lædant, mulieribus noſtris lac vel cremor lactis perplacet qvo immerguntur. Qvanqvam verò gratiores ita palato ſint qvam ſtomacho, qvem inflant, concedendum tamen etiam hoc in paſſu aliqvid eſt voluptati, habetq; ſecum cremor id commodi, ut ſecum citò trahat expurgetq; damna qvæ infert. Ribes rubra, alba, nigra ex hortis noſtris ſuppeditatur ſangvini mundando & reficiendo opportuna, imò aciditate ventriculo grata. Hiſce baccis condiuntur qvoqve cibi noſtri, inprimis aſſi, ex iisdem fiunt juſcula, & placentæ variæ. Rubus Idæus cordi appropriatus ex dumetis affertur, cujus

in

in menſa qvoqve uſus eſſe ſolet, in juſculis, in conditis, in acetis. Ceraſa nigra, qvæ nobis domeſtica ſunt, reliqvis præferuntur, capiti ſalutaria & ſtomacho. Myrtilli calentes ventriculos refrigerant, & ſi copioſius ingerantur, etiam alvum laxant. Rubus repens in agris humilior, vel fruticeſcens in dumetis, ventriculum leviter aſtringendo roborat. Poma, pyra, nuces majores ſeu juglandes, & minores ſeu avellanæ agmen noſtrum claudunt, de qvibus tam multa ab aliis ſcripta memini, ut nolim notis iſtis rebus hic inhærere. Uvas noſtras ſylveſtres pene omiſiſſem, non qvas vitis fert peregrina, ſed ſambuci baccas maturas, qvæ grato acidiuſculoqve ſapore palatum meum vehementer oblectant, ut mirer à noſtris hominibus ad menſas ſecundas non adhiberi excluſis uvis peregrinis, qvum & ventriculo aciditate ſint utiles, & temperamento noſtro accommodæ. Sed plerumq; ſuis domeſti-

meſtica ſordent, nec ulla ſpes melioris animi. Ego certè ſæpiſſimè noſtris incolis indignari ſoleo, qvod pretioſiſſimas illas baccas in ſambuco, ubiq; in Provinciis florente & omnium ruſticorum hortos & tuguria ornante, marceſcere ſinant & volucribus concedant, qvæ divina illa eſca digniores videntur. Cæterum qvia fructus illi horarii ſunt, nec hyemem perferunt, ne interea menſa noſtra defraudetur, ars conſervandi inventa eſt, qvidam enim condiuntur ſaccharo vel melle, ut ceraſa, ribeſia, rubus idæus, uva criſpa, rubus alter, berberis, juglans; qvidam exſiccantur, ut myrtilli, ceraſa, pyra, poma, pruna, baccæ cynosbatos; qvidam loco ſicco repoſiti ſe à putredine tuentur, ut nuces & juglandes, pyra qvoq; duriora & poma. Conditur æ modus mulieribus noſtris eſt notior qvam mihi, nec ille à pharmacopœis petendus. Voto illarum tantum obſtat defectus ſacchari, qvem natura

patriæ

atriæ imperavit. Sed delicatiorum
æc eſt qverela, melle enim ſupplent
iopiam iſtam pleræq; mulieres patriæ
ona haud ſpernentes. Nec alio li-
vore olim cibos fructusqve condie-
ant majores noſtri, anteqvam malo
uropæ fato in Indiam navigari cœ-
tum, & America detecta. Ut autem
el conditura aptius ſit, depurari ſo-
t vel albumine ovi, vel aqvâ additâ
aheneo coqvendum & deſpuman-
um donec aqva omnis conſumpta ſit.
yra & poma vel exſiccantur in furno
el aëre, vel prius macerantur melle
t ſapidiora fiant. Pruna noſtra exem-
tis oſſibus torrent mulieres & com-
reſſa condunt ut ſapore & formâ re-
erant non infeliciter Pruneola ex Gal-
is afferri ad nos ſolita. Rugoſa alia
ulgaris uſus ſunt. Ceraſa nigra, Da-
ica dicta, in furno ſiccata, ſiti ſedan-
æ aptiſſima ſunt, ſive cruda ſive in ju-
ulis cocta, & ventriculi appetitum
nagno emolumento promovent. No-

ſtris inprimis hominibus expetenda, qvi melancholico ſucco & ſcorbutico ſcatent. Qvæ per ſe ſervantur, ſiccum locum reqvirunt. Nuces ut ad hyemem recentes maneant, vel ſale vel raſura lignorum in vaſe ſtanneo clauſo reponuntur. Prius tamen illarum bonitatem explorare ſolent mulierculæ, qvippe inanes & ſine nucleo vacuæ in aqvâ natant, probæ, qvia nucleo graves merguntur & ima aqvæ petunt. Juglandes qvoqve ſcoriis involvuntur, vel muſco arboreo ſicco, ut recenti colore & ſapore per hyemem ſint in deliciis. De pomis & pyris noſtris ſervandis in univerſum *Plinii* præcepta l. 15. c. 16. 17. ſeqvimur. Pomaria in loco frigido ac ſicco contabulantur, ſtramentis ſtoreis, paleisve ſubſtratis, pyra in vaſis fictilibus obruimus inter ſcobes. Locus tamen nimio frigore hyberno infeſtus fugiendus, ne gelu concepto fructus putreſcant. Gelu qvidem ex pomis aqvæ injectis exprimitur & corticem incruſtat, de ſapore tamen multû amittitur. Atq; ita veterum præcepta, ut noſtris terris imperentur, emendanda. Frigidiſſimum qvoq; locum & ſicciſſimum eligit *Columella* l. 12. R. R. c. 45. qvo neq; fumus, neq; teter perveniat odor; nos verò moderatum ſvademus, qvo calor nonnullus ex foco in hypocauſtis accenſo penetrare poſſit.

TH.

TH. BARTHOLINI
De
Potu Danorum conſveto,

DISSERTATIO SEPTIMA.

POtandi ingens in Septentrione neceſſitas. Salſi qvippe cibi, & ſicci, humiditate ſunt temperandi & eluendi. Calentes qvoq; ventriculi frigida potione indigent, & ſalſi humores in ſcorbuticorum corporibus diffluentes, ſitis cauſam accerſunt. Deniq; laboribus defatigati, ne calor ſuſcitatus inſitam humiditatem depaſcatur, à potu ſolatium qværunt. Communes alias cauſas prætereo, & vehiculi hujus in coqvendo cibo utilitatem. Obſtructiones meſenterii noſtris homini-

bus familiares, liqvidis emendari poſſunt. Hinc qvi in potu parciores ſunt, obſtructa ferè habent viſcera. Novi feminam non infimæ notæ, qvæ nullum prandium potu diluit, vixq; altero tertiove die bibit, unde etiam per octo interdum dies alvus illi ſupprimitur. Siccus calor viſcerum & totius corporis, ne tabem inducat, poculis debet inhiberi. Hinc ut concoctio ciborum in ventriculo calido peragatur in uſum totius, conſilio Scholæ Salernitanæ, inter prandendum eſt ſæpe parumq; bibendum. Peccant enim, qvi prandio finito demum bibendi ſumunt initium. Religioſo cuidam Viro, mihi amico, hic diu mos fuerat, qvem qvia, me ſvaſore, emendavit, à tabe immunitatem ſibi audet polliceri, cujus hactenus, ſiccitate prævia, non levia indicia timuit. Ea igitur eſt corporum Borealium conſtitutio, ut ad potum neceſſitate qvadam trahantur, ut mirum non ſit, Danos veteres ſic-

can-

tandis certatim calicibus aſſvetos, ſicut patriæ pace loqvitur *Saxo Grammaticus* l. 5. Hiſt. Dan. qvanqvam illis imputari non debeat, ſi modum nonnunqvam exceſſerint, qvod alibi monſtravimus. Qvicqvid ſit, difficilius rotæ molendinæ circumaguntur, ſi deficiat aqva. Gratiam verò immortalem Deo referimus, qvod extingvendæ ſiti potum ſufficientem ex patriæ reditibus conceſſerit Septentrioni. De aqva nihil loqvar, qvam, licet magnis dotibus ornatam, & ex puriſſimis fontibus ſalientem, beſtiis omnes libenter concedunt, & cum *Pindaro* rerum omnium qvidem optimam aqvam fatentur, ſed ad potum qvotidianum peſſimam. Aliter tamen ſentire nonnullos, dudum paupertatis telum cogit. Nec author eſſem ut cives mei aqvæ potioni aſſveſcerent, ne lymphati fiant. Lienes magni copiam aqvarum non ferunt, ne nimium diſtendantur, &, qvanqvam calor viſcerum exigat, alio tamen

men potu refrenandus, ne ſcorbuto fomenta ſuggeramus. De aqva nivata, magno Septentrionis theſauro, res impedita. Potant eam ruricolæ, qvando gelu omnia riguerunt, & nivibus conteguntur. Ex nive qvoq; liqvata cereviſiam coqvunt, ciboſq;, qvod inhumana hyeme in urbe qvoq; factitatum recordor. Damnari ille potus non poteſt, ſi tria ad animum revocemus. Primò, nivem eligendam puram, nondum terrenis ſordibus inqvinatam, qvi cœleſtis ros omni encomio dignus eſt, cujus virtutes alio loco decantavimus. Deinde, ſi ventriculi nimio calore æſtuent, & refrigerio indigeant, ſalutarem nivis uſum concedi poſſe, ea tamen deniq; cautione, ſi cacochymia ſcorbutica non impediat aut viſcerum intemperies. Plurimorum ſolatium ex ſero lactis petitur, qvo pauperiorum ruſticorum ventriculi aſſveverunt. Nec abhorrent ditiores ab iſto potu in febribus.

Solet ſerum ex lacte ſeparari injecta cerevisia, vel aceto. Succum citri & Tamarindorum acidam pulpam præferunt, qvi exterorum cupediis delectantur. Nos ſuccum acetoſæ ſubſtituimus, & ſuccum condenſatum baccarum ſambuci omnibus commendamus, qvos ſeri ſalutaris cupido cepit. Lac & pro potu & cibo inſervit ruricolis, cui longam ætatem ſoli plurimi debuerunt, ſicut exempla teſtantur. Ineſt enim huic nutrimentum ex pingvi ſubſtantia, & potus ex ſeroſa. Habetq; id præterea commodum, qvod ſitis cauſas pingvedine ſua ex ſtomacho extergat. In Inſulis Feroënſibus adeps balenæ à puerperis potatur, & ſitis & medicinæ gratia. Communis verò omnibus Septentrionem incolentibus eſt Cereviſia, mulſa, & fructuum ſuccus, qvibus nonnihil in gratiam patrii potus immorabor. Cereviſiam, qvaſi Cereris vinum, inter conſvetos patriæ potus numerari, nemo eſt

eſt qvi ignoret. Mirum tamen, ejus uſum aliqvando in Dania eſſe prohibitum, annonæ neceſſitate ita jubente. Ita enim *Saxo noſter* l. 8. in hiſtoria Snionis: Ea tempeſtate per ſummam cœli intemperantiam agrorum ubertate corrupta, ingens annonæ caritas incidit. Cumqve oborta victualium raritate gravis plebem inedia laceraret, rex qvonam modo temporis difficultati ſuccurreret anxius, qvum aliqvanto majorem bibulorum, qvam edacium impenſam animadverteret, frugalitatem populo intulit, convivi-orum uſum abrogans, ne qva ex fruge potio pararetur edixit, acerbitatem famis, ſuperflui hauſtus interdicto pellendam, atq; à ſiti abundantiam eſus mutuandam exiſtimans. Hoc verò conſilium ſeu publicæ ſalutis decretum in ludibrium ejus à bibulo verſum revocare, coactus Rex, qvum nullum trahendæ famis ſupereſſet auxilium, omnium fortunis in ſortem con-

jectis,

jectis, qvi deſignabantur, extorres adjudicavit, unde Longobardorum vocabulum, qvorum poſtea gentem condiderunt, traduntur adepti. Tot turbas inhibitæ cereviſiæ occaſio dedit, patriæ ſolitudinem, orbi ruinas, Regi contemptum, civibus exſilium. Facilius famem toleramus qvam ſitim, qvum ea qvæ ſiti opponuntur, etiam famem ſedent. Cereviſia certè, validè nutrit, hordeiq; beneficia præſtat, ut ex iniqva *Roderici à Fonſeca* cenſura de San. Tuend. c. 12. nihil boni habeat, niſi qvod pingves reddat ejus potatores. Siniſtrè tamen ille judicat de potu ignoto & Luſitanis inviſo. Pro varia hordei copia, plus vel minus nutrit. Unde cereviſiam ſecundariam minus roboris afferre certum, & vice verſa qvæ hordei plurimum habet edendi appetitum in cœna adimere. Non ideò tamen hæc ſemper pingves reddit, uti nec illa macilentos. Noti enim mihi ſunt qvamplurimi, qvi

obœ-

obœſum corpus geſtant, ſolius cereviſiæ ſecundariæ potores: alii vix oſſibus hærent, qvanqvam generoſiorem cereviſiam ſtrenuè ingurgitent. Temperamenti cujusvis ratione diverſa, vel decreſcit corpus vel augetur. Bene tamen nutrit cereviſia, qvod floridus Septentrionalium color indicat, & qvo ex frugibus plus admiſtum habuerit, eo plus corporibus alimenti addit. Neq; alit tantum cereviſia, ſed ſanos conſervat Boreales noſtros, propter lupi ſalictarii mixturam, cujus beneficio cereviſia facilè corpus permeat, obſtructiones tolluntur, hypochondria tenſa laxantur, ſcorbuto reſiſtitur, urinæ promoventur, putredines inhibentur, calculi pelluntur, lumbrici enecantur, & alia bona eveniunt, qvæ fuſa oratione perleqverer, niſi à Doctiſſimis Viris ſcripti de Cereviſia Commentarii omnium manibus tererentur. Intra Boreæ angulos ut nos contineamus, præſtantiſſimarum cere-

viſia-

viſiarum coctores domi habemus, ut affirmare non dubitet *Olaus Magnus* l. 3. c. 29. qvod uti verſus meridiem ſunt potiora vina, ita vergendo in plagas Septentrionales, fiant cerviſiæ meliores. Spectatqve ad laudem patriæ, qvod præter publicos cereviſiæ coctores, qvorum numerus ad centenarium adſcendit in urbe Regia Hafnienſi, ſibi qvisqve in ſingulis familiis cereviſiam ſecundariam & meliorem coqvat, ut publicum iſtud beneficium ad omnes Regia indulgentia pertineat. In Belgio verò vix pro ampliſſimis civitatibus ſingulis unus alterve concedatur. Hincqve adeò eſt, qvia ſufficiens frugum meliorum nobis copia ſuppetit, lupulus in hortis creſcit, & aqvam fontes præclaram ſubminiſtrant, ut vario genere Cerealis decocti abundemus, & palmam peregrinis ambiguam faciamus. Sæpe qvippe domi cocta cereviſia pro peregrinâ vel venditur vel bibitur, nec facilè, etiam horum

 liqvo-

liqvorum peritiſſimi, peregrinum pc
tum magno pretio divenditum à nc
ſtro diſcernunt. Hinc non ſemel ed
cto Regio peregrinarum cereviſiarum
vecturæ inhibitæ, in commodum in
colarum, etiam Regii fiſci detriment
& qvanqvam relaxata fuerit inhibiti
illa, telonio tamen aucto peregrin
merces à domeſticis ſeparantur, ut in
colis animus propriis artibus emen
gendi creſcat, & porrò ad honeſta ex
citetur. Olim vile exterarum cerev
ſiarum fuiſſe pretium accepimus. Im
perante enim CHRISTIANO I. prim
DaniæRege ex familiaOldenburgica, A
C. 1477. Roſtochienſis cereviſiæ valc
augeri cœpit, teſte *Arnoldo Huitfeld*
in Hiſt. Dan. & tonna noſtra, qvæ c
pit menſuras vulgares 120. ſive, ut a
exteris intelligar, libras circiter 24
veniebat ſolidis Danicis decem & oct
ſeu novem Lubecenſibus, cujus ant
pretium fuerant ſolidi tantum decen
ſeu quinq; Lubecenſium. Tam fel
illu

illud erat bibonibus ſeculum, aliisqve qvi nihil niſi peregrina ſpirant & vorant, optandum. *Olaus Magnus* l. 13. c. 32. exoticam cereviſiam deportari per mare à Germania ad Aqvilonares terras, ideò dicit, qvia fortiſſimo lupulo, qvi humulus dicitur, ibidem cocta, & marinis fluctibus mota, ſapidior, potentiorq; redditur, ad majus robur & conſervationem: lupulum namqve in aqvilone creſcentem, propter multitudinem ferrearum minerarum & rubiginem ex earum exhalatione cauſatam, in fine Julii floribus expoſitum, ad imbecillitatem exhalare. Marinis fluctibus motam cereviſiam ſapidiorem reddi & defæcatiorem, vero eſt conſonum. Sed & huic incommodo remedium aſtutum à cereviſiario Hafnienſi olim excogitatum. Qvippe à ſe coctam cereviſiam, per mare Malmogiam deportatam, rurſus Hafniam advexit, & pro cereviſia Roſtochienſi omnium ſuffragiis vendidit,

Lupulus autem noſter in Dania à rubigine minerarum tutus eſt, qvem in hortis ſuis ruſtici noſtri pingvi loco ſed opaco colunt præſtantiſſimum & odoratiſſimum. Tantaq; cura ſereniſſimis Regibus olim fuit lupuli inqvilini, ut CHRISTIANUS III. Receſſus ſui Art. 59. & CHRISTIANUS IV. Lib. 2. Receſſ. c. 20. edictis injunxerint illius culturam omnibus Daniæ colonis. Idq; prudentiſſimo inſtituto. Qvippe non raró peregrinorum commerciis ſive bello ſive peſtilentia ceſſantibus, ad propria & domeſtica bona condemnamur. Tutius igitur & utilius eſt ea in hortis colere qvæ uſus qvotidianus exigit, qvam peregrinorum arbitrio vivere. Periculoſum præterea ſæpe & Reipublicæ exitioſum, ex peſtilentia infectis locis lupulum afferre. Dubitatum fuit nuperis annis, qvum Boruſſiam & vicina mari Balthico loca peſtilentia depopularetur, an lupus ſalictarius à mercatore noſtro illinc al-

latus

latus in urbem tuto poſſit exonerata navi deportari & divendi: Fuere qvi id ſine urbis periculo concedi poſſe exiſtimarent, qvod amarus lupulus & putredini reſiſtens, μιάσματα illa peſtilentiæ recipere non poſſit. Sed utilitati & vitæ civium conſulebant rectius, qvi id negabant. Qvippe lupulus, ſi innoxius eſſet, ſaxis tamen cannabinis continetur, qvibus adhærere poſſunt peſtilentiæ ſemina. Admiſtæ præterea ſunt ſordes, muſcæ, araneæ, pulveres &c. à peſtilentia haud qvaqvam immunes. Ipſe qvoq; lupus ſalictarius peſtilentiæ receptaculum eſſe poteſt, qvia poroſus & levis, qvibus poris venenum attrahitur, & ſervatur. Calidus eſt præterea, *Matthiolo* probante, & rectè contra *Meſuen* frigidum negat *Bruyerinus*. At calida facilius peſtilentiæ atomos attrahunt, ſervantq;. Omnia deniq; apta ſunt, qvæ inficiantur, etiam ipſa aromata, teſte *Athanaſio Kirchero* l. de Peſte, &

inter res qvæ infici poſſunt, numerat *Ranchinus* de Purif. Sect. 4. c. 3. mercium & medicamentorum omnes differentias, qvæ in officinis conſervantur. Ipſa metalla non excipiuntur, unde rectè Itali nummos eluunt antequam contrectent. Irrident qvidem iſtud *Mercurialis* & *Valleriola*: Sed pro ſe adducit *Ranchinus* c. 2. ſtannum, qvod allio vel abſinthio confricatum, odorem & ſaporem retinet, ac aliis communicat, ferrum qvoq; moſchi odorem & virtutem magneticam attrahere, monetam deniq; ſordibus ſcatere contrectatam manibus ſudantibus. Amarus lupuli ſapor illum tueri non poteſt, qvia non primis ſeu manifeſtis, ſed occultis qvalitatibus nocet peſtilentia, ut à manifeſtis actionibus impediatur difficulter. Salvia, qvæ inter alexipharmaca poſtremum locum non obtinet, qvippe cujus ſuffumigio arcetur peſtis, infectioni qvoq; ſubjicitur. Qvanqvam hujus folia aſperi-

ora

ora ſint propter vermiculos incumbentes, ex obſervatione *Kircheri*, tamen etiam lupulus poroſus eſt, & ſemina ſua recondit, qvæ omnium confeſſione inficiuntur. Fiat meo periculo experimentum, an non lupulus juxta purgantia vel venenata alia poſitus vim purgandi imbibat. Credo amico narranti, qvod olim Roſtochii peſtis diſſeminata fuerit per ſacculos lupulorum, qvi per urbem tantum vehebantur ex Viſmaria. Præſtat igitur ſecurum eſſe, ne forte aliam ob cauſam diſſeminata peſtilentia, huic lupulo imputetur, fabaq; infectæ urbis in Medicos vel Magiſtratum cudatur. Unde re ad Facultatem noſtram delata, hoc reſponſum dedimus:

Ad clementiſſimum Ser. Reg. Maj. mandatum, qvo judicium noſtrum ſubjectiſſimum exqviritur: An tutum ſit, merces ex infectis locis huc allatas, in urbem admittere; hæc noſtra eſt ſententia, qvod nobis non videatur

tutum hujusmodi merces, qvibus con-tagium adhærere poteſt, inprimis cannabis, linum, lana, pannus, pelle animalium, corium, lupulus, farina & aliæ ejus generis, qvas aliàs nobis ſub-miniſtrare Boruſſia ſolet & mare Bal-thicum, ubi nuper peſtilentia graſſa-batur, urbi inferre, anteqvam per eos-dem homines, qvi eas huc vexerunt in alium locum perflatilem, qvem ne-mo inhabitat, devehantur, ſeparentu & ventilentur, ibiq; ſpatio ſex hebdo-madarum permaneant, & ut illarum mercium ſacculis vel faſciculis inclu-ſarum primaria ratio habeatur, qvæ involucra, qvi ſacci, vel prorſus com-burantur, vel accenſis lignis abietini vel juniperinis fumo ventilentur dumq; hæc ventilatio fit, domi ſe ve-ctores contineant, ne in aliorum ho-minum ſocietatem immittantur. Haf-niæ 2. Mart. 1661.

Qvod ſi tanta lupuli foret inopia ut pro cerevifia patriæ coqvenda non

ſuffi-

ſufficeret, norunt noſtri œconomi defectum hunc ſupplere abſinthio, marrubio, chamelæagno. Cimbriæ qvidam agreſtes Tamaricas lupuli vice ſumunt, non incommodè judicio *Rhodii* noſtri, Viri incomparabilis ad Scribon. Comp. 128, nam detergit & incidit ex *Galeno*. Novi, qvi ligni abietini raſuras præferrent, unde ex reſina cereviſiæ gratus odor & pingvis ſapor oritur, eoqve ligno dicuntur exteræ gentes ſuas cereviſias condire, qvas tantô pretiô nobis obtrudunt. Ita ad gratum potum nihil cereviſiæ noſtræ deeſſe poteſt. Qvod ſi cereviſiam pro ægris condire velimus, in promptu adſunt, qvæ incolarum experimento conveniant. Enulata cereviſia contra peſtem coqvitur; Salviata pro ſtomacho, colica, vertigine, renibus: Meliſſæ, cor reficit, melancholiæ reſiſtit, utilis mulieribus: Juniperina, calculos pellit & menſes; abſinthides, ventriculo prodeſt, & lumbricis pellendis:

Prunorum ſylveſtrium, roborat ventriculum, fluxusqve ſiſtit omnes: Radix deniqve urticæ in cereviſia coctā icterum, & fungus ſambucinus hydropem, lienisqve durities emendat. In Inſulis Feroënſibus coqvunt radicem filicis in cerviſia contra calculum renum & veſicæ, bono ſucceſſu, ut teſtatur *Simon Paulli*, Vir Doctiſſimus in Flora Danica. Alias plebejas artes non recenſebo, qvibus cereviſia clara redditur, & delicata, & ab acore defenditur, qvia artem iſtam Cereviſiariorum nec didici nec profiteor, & qvi iſtarum rerum tenetur deſiderio, adire poteſt præter alios, noſtri *Nicolai Michaelis* Calendarium œconomicum, & *Authorem* alterum in œconomia Danica majori Hafniæ 1649. editum, ego enim ad alia potus genera propero, qvibus illuſtres Dani mei uti ſolent. Mulſa magno ſtudio in Septentrione coqvitur ex melle, aqva, & lupulo, in cujus coctura providendum, ut mel bene

benè deſpumetur, deinde ut fermen-
um addatur poſt coćturam. Dici non
poteſt, qvam gratus ſit potus noſtris
hominibus, præſertim ſi annus unus
alterve tranſierit, & ſi loco aqvæ com-
munis muſtum pyrorum vel pomo-
rum ſubſtituatur, delicatiſſimus eva-
det, ut cum vino Malvatico compara-
ri poſſit. Præclarum Medoni Septen-
trionalium encomium ſcribit *Ludovi-
cus Nonnus* l. 4. R. Cib. c. 14: Utiliſſi-
mus, inqvit, hic potus, à natura vide-
tur frigidiori illi cœlo datus, ut calo-
re ſuo, regionis algori reſiſtat, tenui-
tate & acrimonia, craſſos & pituitoſos
humores extenuet & incidat, omni-
busqve morbis ex frigidis humoribus
ortis opem ferat. Vidiſſe ſe Antver-
piæ idem teſtatur paratam Mulſam,
qvæ cum Vino Hiſpanico certare poſ-
ſet, ut optimè dixiſſe viſus ſit *Plinius*
l. 22. c. 24. longa vetuſtate tranſire
mulſam in vinum. Hinc forſan Nor-
wegis, vini defećtu laborantibus, in

Cœna

Cœna Dominica adminiſtranda Ponti-
fex Romanus conceſſit olim , ut me-
donem ſubſtituerent, ſicut in patrii
Hiſtoria Nobiliſſimus *Huitfeldius* ii
Hiſt. CHRISTIANI I. poſteritati reli-
qvit, ſive qvod perinde crederet qvi
ſubſtitueretur pro vino: qvod conſe-
crare non ſolebant eo ſeculo, ſive
qvod proxima illius cum vino eſſet
virtus, & plerumq; color rubicundus
qvo colore vinum in Paleſtina fuiſſe
vero ſit ſimile, qvod , ut ſangvinem
referret, in cœna Servator diſcipulis
bibendum offerebat. Hujus autem po-
tus copiam in Septentrione fuiſſe mul-
tis abhinc ſeculis , caſus Regis Hun-
dingi in Svecia fidem facit, de qvo *Sax.*
l. 1. Hiſt. Dan. refert , qvod occaſum
Haddingi Regis Daniæ falsô acceptum
nuntio inferiis excepturus, optimati-
bus contractis, eximiæ capacitatis do-
lium cereali liqvore completum deli-
tiarum loco medium conviviis appon-
præceperit; & ne qvid celebritatis de-
eſſet

ſſet, ipſe miniſtri partibus aſſumtis, incernam agere cunctatus non ſit, umq; exeqvendi officii gratia regiam erluſtraret, offenſo gradu in dolium ollapſus, intercluſum humore ſpiri-um reddiderit; Qvo cognito Hadin-us parem veneratori gratiam relatu-us, extinctoq; ſupereſſe non paſſus, ſpendio ſe vulgo inſpectante con-mpſerit. Magnum mehercules ami-tiæ documentum, inter vicinos Re-es inſolitum, qvod tamen ridiculum ocat *Alb. Krantzius* l. 1. Svec. c. 16. at arem horum mortem putat *Olaus 'agnus* l. 13. c. 33. præcipuæ virtuti ma-norum Græciæ & Latii Principum, vi voluntariam in mortem, ne fidem romiſſam violarent, ſe tradiderunt. erogare nonnihil Hundingi pietati detur *Krantzius* l. c. & l. 1. Dan. c. 9. vod narret Hundingum ebrium in-utumqve in dolium, qvod de more etuſtatis, circum ſaltabat, ſubmer-m fuiſſe. At *Olaus* l. d. pro Rege ſuo

cer-

certiora commentatur : Poſtqvam e-
nim omnes ebrietate ſuffuſos advertiſ-
ſet, ſeipſum in dolium dulciſſimi li-
qvoris præcipitans, oſtendere videba-
tur, illud mortis genus dulcius exiſti-
mari debere, qvod pro amicitia & fide
ſuſceptum, gloriam laudemq; merere-
tur immortalem. Huic verò major fi-
des habenda, de proprio Rege ſcriben-
ti, qvam peregrino *Krantzio*, qvi nihil
ex *Saxone*, qvi primus Hiſtoriam hanc
contexuit, pro ſuſpicione ſua afferre
poteſt. Et favet Regis pietati, ab *Ol.*
deprædicatæ, ipſe Rex Hadingus, qvi
amicitiam pari ſeu voluntaria morte
obſignavit, & rependit, ſibiq; ipſi la-
qveo ſpiritum intercluſit, qvod *Sax.*
& *Krantzius* confirmant, qvanqvam
hic dubius *Olaus*, aſſerat, permiſiſſe
laqveo ſuſpendi. Cauſam ego utrius
facti, non factum laudo. Majus verò
amicitiæ & conſtantiæ argumentum
ſubminiſtrat Hadingus, qvam Hundi-
gus, ille infami, hic dulci morte. Utri-
us

usq; tamen animus pro pari laude decertat, hujus, qvod prior, etiam falſo nuntio accepto, mortem eligere pro altero voluerit, illius, qvod ſeqvi voluerit paremqve gratiam referre in morte, qvem antea jam ſatis vivum regni Sveciæ donatione ſibi obſtrinxerat. Sed de his videant, qvi Principum conſilia & fata ſcrutantur. Cerealis ille liqvor, qvanqvam pro cereviſia Cereris ſucco, accipi poſſit, tamen melleus eſt potus *Olao*, qvem hic ſeqvor, & de medone explico, qvi à Cera forſan Cerealis dictus liqvor, vel qvod cereviſiæ in modum coqvatur. Juvat opinionem illius, qvod deliciarum loco, in conviviis, fuerit adhibitus, qvum cereviſia cottidianis potibus annumeretur. Noſtris popularibus agreſtibus adhuc inter delicias habetur Mulſa, feſtis tantum diebus vel convivis advenisq; peregrinis in rure propinanda. Uſuqve jam longo receptum, feſto S. Michaelis mulſam cum cru-

cruſtis intinctis ſorbere, etiam apud urbanos. Vulgo enim perſvaſum, ita immunes ſe fore decurrente anno à doloribus dorſi. Forſan à tabe dorſali, cui mulſa non incommoda. Meo verò judicio mos ille à meſſoribus introductus, qvi ferè circa hoc autumnale tempus laboribus feſſi & fracti, ab agreſtibus lauto hoc poculo mulſæ reficiuntur pro fine meſſis. Ita feſſa membra & laboribus curvata ſpina dorſi melleo potu deliniri poſſunt. Hoc certè tempore tot ferè modii mulſæ in Septentrione univerſo evacuantur, qvot homines ſunt in ſolatium laborum tempore meſſis exantlatorum, hocq; liqvore patrio, Deo & Regi libant, ſicut olim Romani pro meſſe ſua Jano vinum & Jovi dabant, & Cereri exta porcæ & vinum, qvemadmodum docet *Cato* R.R. c. 134. Loco lupuli in mulſa ſua coqvenda Septentrionales uti myrto *Olaus Magnus* l. 13. c. 23. profitetur, qvam inſtar gra-

norum

norum juniperi in humili frutice, ulnæ unius longitudinis in loco paludoſo creſcere, & matureſcere in Auguſto, addit cap. 25. Niſi chamelæagnus ſit, aliis Myrtus Brabantica, qvam etiam in coqvenda cereviſia lupulo noſtri agreſtes ſubſtituunt, ignorare cogor qvalis ſit Myrtus, ſiqvidem aliam Myrtum Septentrioni noſtro eſſe inqvilinam, non memini. Sed à Naturæ patriæq; peritis erudiri non erubeſco. Ad potus conſvetos referri debet ſuccus pyrorum & pomorum noſtrorum, qvem prælo expreſſum, eo modo qvem tradit *Palladius* in Febr. c. 25. & defæcatum, pro vino bibimus. Et certè ſæpe pro vino Gallico venditur, qvod colore, ſapore & inebriandi virtute æmulatur. Unde vinum de pyris eodem *Palladio* vocatur, & *Plinio* autore l. 15. c. 15. pomis proprietas pyrisqve vini ineſt. Varium autem eſt iſtud vinum inqvilinum. Nam præſtantiſſimum cenſetur ex pyris expres-

 ſum,

ſum, ſtomacho roborando utile, & adſtringendo. Vilius ex pomis, niſi pyris commiſceantur. Ex acidis pomis ſuccus, niſi aliis emendetur, nobis non ita opportunus, ſicut calidioribus ventriculis. Ex pomis verò dulcibus, alvus beneficium ſentit. Omni muſto, vitio vulgo vertitur, qvamqvam guſtui placeat, qvod flatus ſemper pariat, & caput feriat. Sed de muſto vini eadem eſt cenſura *Plinii* l. 23. c. 1. inutile eſſe ſtomacho. Qvantum autem defæcatum vinum ſtomacho proſit, nemo ignorat. De vino pyrorum & pomorum idem eſt judicium. Non placent aromata, qvibus vulgus condit. Sit ſua cuiq; integritas. Provecta hyeme, etiam ſine additamento muſtum noſtrum defæcatum & prodērit & delectabit. Odi fucum in corpore, qvod ſua pulchritudine ſe commendare poteſt. Muſti adulti tanta eſt præſtantia, ut exinde coqvatur ſyrupus, ſine additamento, ſapore du-

ce

is & pectori ſalutaris. Omnium ge-
erum ſoboles eſt acetum & ſpiritus
ini, ita dictus. Acetum ex cereviſia
orte, levi negotio fit, denuo cocta,
dditoq; fermento & piſis aſſis vel u-
is, vel pomo acido: hujus neqvitiæ,
t cum *Plinio* loqvar l. 14. c. 20. virtus
eſt magnos ad uſus, præſertim verò
d ciborum condituras & obſonia. Ne
erò cereviſiam redoleat, per alembi-
um ſubtilior ejus pars ſeparatur, nul-
o vini aceto dignitate cedens. Ex-
emporaneum acetum prodit ex aqva
igida melli mixta. Ex pomis ſylve-
ribus, vel aliis pomis immaturis ace-
um expreſſum, ſpecioſo nomine no-
ris Citeredicke appellatur. Aceti ex
yris conficiendi rationem tradit *Pal-
dius* loco nuper laudato, ne iſtis ſcri-
endis immorer. Spiritum Vini o-
nia frugum genera ſubminiſtrant,
x cereviſiæ, qvisqviliæ pyrorum &
morum, poſtqvam ſuccus pro mu-
o expreſſus eſt, ut de ipſo hordeo, ſi-

 ligi-

ligineqve aliisq; nihil dicam, qvorum
potens Spiritus ventriculo noſtro utii
lis, ut calefiat cruditatesqve diſcutiam
tur, ſive interno ſive externo uſu comm
mendetur. Ex avena qvoqve Ruſſi a
qvam extrahunt, qvæ inſtar vini ine
briet, teſte *Dodonæi* Scholiaſte. Iisdem
ſane Ruſſis, uti & Scythis aliis, nimii
freqvens potus eſt Vini Spiritus, qv
accenduntur ſpiritus, & exſiccantu
corpora. Noſtris hominibus hauſtu
lus ejus magis accommodus, in cœ
frigore, & qvotidiano Cereviſiæ uſu
ut ventriculi calor conſervetur, & hu
mores lenti frigidiqve incidantur. E
ut vis augeatur in hypochondriaci
Colicis flatulentis, hyſtericis, aniſum
cuminum, meliſſam &c. addunt n
ſtræ mulierculæ, qvando repetita vic
in alembicum mittitur: vel infun
dunt, anteqvam bibatur. Alii pro ven
triculo magis fomentando radic
gentianæ infundunt, tempore peſtile
tiæ utiles. Ut deniq; ſcorbuto inſe
via

viat, herbis antiſcorbuticis miſcent. Omnium ſaluberrimum ſpiritũ qvem de optima nota commendare volo, ex baccis ſambuci maturis cum modico polentæ curioſiores matronæ præbent, meliorem multis modis *Auſonii* dodrâ, qvanqvam ex dodrante non ſit. Si enim in his aliisq; calculum rectè ponimus, de Naturæ negligentia aut hominũ noſtrorũ deſidia conqveri non poſſumus, ſi nobiſcum habitare velimus, nam alioqvin, ut elegãter, more ſuo, *Seneca* monet l. 3. de Ira c. 31. nulli ad aliena reſpicienti ſua placent. Itaq; patrio potu acqvieſcentibus Deum propitiũ & Naturam faventem polliceri auſim, ſicut Deos mœnia Vejentium deſerturos non eſſe libris olim fatalibus, *Livio* teſte, traditum fuit, qvamdiu aqva ex Albano lacu non eſſet emiſſa.

Excipiendis potionibus domeſtica vaſa deſtinantur, aurea, argentea, ſtannea, lignea. Vitrea peregrina ſunt, & fortunæ fragilitati obnoxia. Injuriam

facit popularib9 ſuis *Olaus Magnus*, qvam do l. 13. c. 38. vitrorũ vel nullũ vel rariſſi mũ uſum eſſe in menſis Septentrionaliu ſcribit, ob exceſſum ebrioſorum, qv voluptatis loco ducerent, perfringer vitra. Cæterum parſimoniæ illorum i imputandum, qvia pocula amant, qv qvemvis manus rudioris attactum per ferunt. Galienus Imperator calices vi treos qvoq; aſpernatus fertur, qvia vi tro nihil communius Romæ eſſet. Se ptentrionales ideò aſpernantur, qvia antiqvorum rituum obſervantes, vitr nihil rarius dicunt, qvippe aliunde alla to. Figulino opere varia vaſa forma in deliciis eſſe ſolent. Vulgatiſſimi apu Boreales uſus ſunt diotæ ex lign acerno eleganter dedolatæ. His po culis ſuperbiunt, in ſylvis patriæ na tis, & varias imagines naturæ luſu oſten tantibus. Non rumpuntur facilè, nec ſa pores liqvorũ vitiant. Ut conſtantior ſint, & liqvores commiſſos fidelius con ſervent, & virtute aliqva caput robo

ram

andi imbuant, reſinâ juniperinâ, qvam
Vernicē appellamus, incruſtantur & in-
erius obducuntur. Antiqviſſimū pocu-
i genus fuit cornu bubulū, ad cujus ſi-
nilitudinem, figurâ eadem ſervatâ, po-
teriores ex ære vel auro conficiebāt po-
ula. Multa de hoc cornuum uſu com-
nentatus eſt orbis noſtri ſplendor *Olaus
Worm* in Aurea diſſertatione De Aureo
Cornu, qvod in Cimbria prioribꝰ annis
puella qvadā caſu inventum fuit, & nos
auca qvoq; in Obſervationibus Novis
e *Unicornu* libavimus. Tranſiitqve iſta
Cornuū figura etiā apud veteres Danos
d uſum ſacrorum, & Chriſtianis calicis
oco in Euchariſtia adhibita. In cujus rei
dē ſimile cornu auro hinc inde obdu-
cum, literisq; barbaris, ſed ſacris orna-
ī in Muſæo ſervo. In Muſæo qvoq; be-
i Viri D. *Henrici Fuirenii*, Conſobrini noſtri de-
deratiſſimi, qvod Academiæ patriæ legavit,
oculū viſitur Norwegicū ex pede Alcis cū ejus-
em ungula, evacuandis liqvoribꝰ pro Epilepti-
is ſingulare. Hiſce enim ſimilibusq; poculis &
iis & ſanitatis rationē habent Boreales, qvem-

admodum Sinenſes ſua vaſa Porcellanica utriq; uſui deſtinant, Europæisq; mittunt. Ita & noſtri calices ex fraxino conficiunt, ſi vel ſplenis reme diũ qværant, vel calculi, vel aqvæ inter cutẽ. Di tiorum menſæ poculis ex auro & argento ſolem in patria reſplendere, fereq; aurea vaſa vino de dicantur, cereviſiæ argentea, illaq; cordi amic creduntur. Sed ad luxum ſpectant, Regumq; menſas & convivia, qvanqvã nec cornua ma gnatum olim epulis defuerint. De utroq; *Saxo* noſter l. 5. in convivio Frothonis Regis Daniæ Miniſtri purpura culti aureos geſtantes cyathos propinandiq; mun9 comiter exeqventes, com poſitis gradiebantur ordinibus. Nec bubalino rũ cornuũ, qvibus potio promeretur, uſus abe rat. Aureis cœna pateris refulgebat, nitidioribus onuſta poculis, qvæ plerumq; fulgentes inter ſtinxerant gemmæ. Aurei qvoq; poculi Eſchyli Lundenſis Archipontificis meminit *Krantzius* Dan. l. 6. c. 11. unde prima inter Woldemarum Regẽ & Eſchyllum amaritudinis cauſa inceſſi Sed ſecuriora ſunt & ſine invidia vulgi vaſa li gnea & fictilia, fortunæ convenientia, qvia, ut verè *Juvenalis* Sat. 10.

——— nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Th

TH. BARTHOLINI
De
Medicorum Danorum dignitate,

DISSERTATIO OCTAVA.

AD Medicorum noſtrorum dignitatem nihil æqvè ſpectat qvam ex arte, qvam profitentur, acqviſita prudentia, qva ad ſuſtinenda rerum aliarum onera ſe dignos reddiderunt & paratos. Perſpectus omnibus eſt inſignis utriusqve Reipublicæ conſenſus, majoris nempe illius, in qva & cives concordi ſocietate degunt, & ſuperior aliqvis ſive ſolus ſive optimis optimorum conſiliis adjutus, jus ex publica utilitate decernit; & minoris, ubi ad illius exemplum ſub dignioris imperio

 ami-

amicè inter ſe in homine omnia conſpirant. Civitatem ad hominis imitationem adornandam, rectè olim Philoſophorum Princeps ſuſpicabatur: in homine qvippe velut in contracto compendio & univerſi invenies & cujusvis imperii exemplum. Hic circumjecta pellis, ibi mœnia publicas externasq; rerum noxiarum incurſiones inhibent: utrinq; portæ ingredientium exeuntiumq; commeatu deſtinatæ, tot janitores, qvot rerum expellendarum retinendarumq; neceſſitas reqvirebat, & milites Prætoriani, qvi & hic & ibi excubias agunt. Intra ipſa mœnia variis opificiis varii occupantur, ſed in commune totius emolumentum. Ventriculus coci munere defuncturus cibum dentato oris ambitu velut in molendina contuſum in ſeqventes reparandi corporis uſus attemperat. Non hic Natura ſibi ſemper ſufficit, ſicut nec in Republica bonæ leges, qvum ad gulæ ſubinde oble-

cta-

ꝰtamenta grataq; Apicii fercula diver-
tant cives. Culinæ expurgamenta ad-
tant, & nævi elegantem hinc inde
corporis fabricam illuſtrant, qvemad-
modum nullum imperium ſine mix-
ura repurgamentorum & varia mo-
rum peregrinorum diverſitate. Ad to-
ius conſummatam integritatem jecur
& lien partito inter ſe onere cruorem
vitæ miniſtrum in officinis ſuis perco-
ant, & per ſangvifluos ductus hinc in-
de derivatos univerſum corpus rivu-
orum inſtar reciproco curſu & æter-
no in ſe redeunte gyro inundant, ſine
qvibus cuncta contabeſcunt, qvemad-
modum urbi olim Sixtianas aqvas de-
plorandam hanc cladem induxiſſe ac-
epimus. Qvod de lympha qvoq; no-
tra, in homine non ita pridem dete-
cta, intelligendum. Singulorum ope-
as calore ſuo velut perpetuo Veſtalis
gnis foco micantibus & nunqvam las-
s fibris inflammat turbinatus ille,
vo vivimus, mucro, ex qvo ad arma
pro

pro Republica noſtra & majori capeſs
ſenda, pro pellenda æſtuante circum
præcordia bile maſculè animamur. E
ne qvid ad expeditum membrorum
noſtrorum publiciq; ſtatus curſum de
ſideremus, ne ſine ratione ſeu turbid
ſeu qvieto rerum imminentium mo
mento nos & imperium proſtituamus
ne diligens operarum induſtria exacti
hic & ibi artificiis precium per utrum
qve orbem merentibus, ne ſtudia a
publicum bonum deſtinata; nubili
cœli vitio animis, in caſſum deficiant
ex cerebro, cœlorum compendio, o
mnibus imperia dividunt candicante
nervorum funiculi, ſenſus omnis &
motus artificioſa inſtrumenta. Naſcun
tur ibidem artes, & qvicqvid præclar
pro publico promittimus, & ratio ul
tra rationem ſe magna majeſtate effer
Qvod admirationem ſuperat, tria qv
dem Rerumpublicarum genera ſuc
habent imperandi modos, ſed noſtr
hæc Reſpublica, totidem ferè regenc

præ

præceptis conſtat, qvot homines aut
n homine rationes ſubducto calculo
numerantur. In hac majoris mino-
isq; ratione totius ſalus vertitur, &
elicitas, qvæ tota cœleſtis, niſi ad-
nixtione contrariarum voluntatum,
eſſimo in utraq; Republica malo,
ionnunquam ſordeſceret, & ad ægri-
udines turpiter deficeret, ſi qvando
el libidinibus ceſſerit, vel contra ſe-
pſam irâ inutili conſpiraverit, vel de-
niq; ad ignobiliora officia velut ad
iſyphi ſaxum damnatis peſſimam imi-
andi ſuggeſſerit conſuetudinem. Un-
e alijs peccandi errandiq; fiducia
naſcitur major, qvo liberius ad devia
ua ſponte deflectunt. Hic Virum ſe
robare poteſt παῖς Ἰατρῶν, ubi maxi-
nè à Natura & inſita virtute deſcive-
int plures. Et ſecundam & adverſam
ortunam moderatur, ſicut pace belloq;
ummus Princeps. Fruſtra erimus, ſi
antam Reipubl. promittamus felici-
atem, qvæ nullis malorum exemplis
abun-

abundet. Mortalium eſt vitium, ut nec magnam facilè fortunam ferant, nec parvam libenter. Evagantur non pauci ultra præſcriptos terminos, & integri mores ſæpe aut deficiunt aut prava admixtione ſordeſcunt, ubi leges Reipublicæ, & Reſpublica legibus defuerit. Ubiq; in urbe Catilina, & ſalubri maximè cœlo peſtilentia tam hominum clade qvam ingeniorum graſſatur. Vitia ipſa neſcio qvo fuco adornata delectant, exigua virtutibus gratia, ſpreta DEI ſacra, hominum jura, & alia religioſo titulo imponunt, qvum & illi peccent, qvos minime oportebat, & qvi non peccant, fraudibus decipiantur. Hic hoſtem utriusq; Reipublicæ qvi feriet, mihi ſit Carthaginienſis. Regium eſt disjunctiſſima animorum diſſidia componere, immenſaq; non tam terrarum qvam pectorum ſpatia prudenter contrahere, intercedere caſibus, fortunæ occurrere, atq; omni ope niti, ne qvis è plebe homi-

hominem magis fuiſſe ſentiat, qvam civem. Omnes numeros ex aſſe implent Medici noſtri, ſaluti communi excubantes. Non eſt qvod amicum aut rerum judicandarum arbitrum in foro tantum & in curia qværas. Si diligenter attenderis, invenies & foris in Æſculapij fano, qvamvis olim extra mœnia Romæ extructo, ubi virtus vel ſanitas ad magnæ fortunæ arbitrium non examinatur. Aſſveti illi morborum cenſum agere, Libitinæ dicere leges, fatis intercedere & manium jura reſcindere, qvotidianum illis & vitæ & necis exercere poteſtatem. Vehementes morborum injurias inhibere, neutiqvam vilius conſtat, qvam oneroſa rerum forenſium negotia ſuſtinere. Optimum inde & ad imitationem publicam ſerium naſcitur præceptum. Publicorum enim morborum expiationes ad ſubjecti ægri conditionem uterq; attemperat. Ille leviora delicta non lege ſemper Gabinia aut Cornelia de

de ſicarijs, nec ſeveritate Manliana pu-
nit, ſed vinculis ſubinde laxioribus:
Hic errores commiſſos viliores, vel ſibi
relinqvit ſua ſponte emendandos vel
ſobrio vitæ genere & lenioribus ſub
ſignaculo medicinis lento gradu & ſu-
ſpenſa manu corrigit. At graviores
infirmitudines, ne vel latius ad totiu
interitum ſerpant, vel longa mora ſin
moleſtæ, reliqvisq; labem tacito con-
tagio affricent, fortiori arte aggredi-
tur, ſangvine morboſo expiat, purga-
mentis igne & ferro & cæteris qvæ cru-
delior manus invenit. Qvæ medici-
næ præſidia utriusq; Reipublicæ, plures
qvi refugiunt, plures, ut ille loqvitur
ſtulti, plures timidi & malè verecundi
Eſt qvidem qvaſi ſævitia in ha
medicina de ſcalpello, de caute-
rio, de ſinapis incendio; non tame
ſecari, inuri, & extendi morderiq; id-
circo malum, qvod utiles afferat dolo-
res, nec qvia tantummodo contriſtat
recuſabitur, ſed qvia neceſſario cor-
tr

iſtat, adhibebitur. Horrorem enim
ɔeris fructus excuſat, & ululans ille,
mens aut inter Medici manus mugi-
ıs, eaſdem mercede cumulabit, & ar-
ices optimas jam ſævas negabit,
um bonæ res atq; malæ, non dolore
t voluptate, ſed utilitate atq; noxa
ıt judicandæ. Fortioribus ita in Re-
blica ſubinde remedijs agendum,
orum rationes Medicus, in minori
ttidie occupatus, habet perſpectas,
æſertim ubi nihil in vulgo modicum.
rrent, ni paveant: ubi pertimue-
ıt, impunè contemnuntur, dumq;
ɔerſtitio urgeat, adjiciendi ex Duce
etus ſublatis ſeditionis autoribus,
jsq; inutilibus terræ ponderibus.
oleſtus qvoq; ſit Medicus furenti,
renetico, & Magiſtratus indiſcipli-
to civi, ille ligando, iſte cædendo,
l ambo diligendo, qvod ſi neglexe-
ıt, ubi à recto ſemel deerratum eſt,
præceps pervenietur, & manſvetu-
ıis nomen cum crudeli permuta-

 bunt.

bunt. Non enim ibi conſiſtunt exem-
pla, unde cœperunt, ſed qvamlibet in
tenuem recepta tramitem, latiſſimè
evagandi ſibi viam faciunt. Medico-
rum filij, vitijs morborum extirpan-
dis aſſveti, cur in hominibus regendis
velut nube ſubducti deficerent? Facilè
certè in publicam arenam deſcendunt,
qvi in circo ſæpius deſudarunt. Nolite
aut lanienam Hippocraticam horreſce-
re, aut duriores manus, qvas & mo-
rum & morborum perverſitas reqvirit.
Excellentibus qvibusvis ingeniis citius
defuerit ars, qva civem regant, qvam
qva hoſtem ſuperent. Noſtri illi Hy-
giæ ſacrati utrumq; pari facilitate ex-
ſeqvuntur. Secant morboſum viſcus,
& dum putredo abraditur, ſcalpella re-
centi cruore tingunt, in ipſo utero ne-
ceſſaria crudelitate dividunt infantem,
qvando in exitu obliqvatus denega
partum, huic brachia decurtant, ill
præcordia reſerant, alii ſubducto ocu-
lorum lumini ſtilo viam pandunt, iſt
col

collectam in ingviculo aqvam dedu-
cunt, alteri ne ſpem familiæ fruſtretur,
naturam provocant recluduntqve &
mille mortes, ſed ſine morte, mem-
oris tabeſcentibus inferunt. Reliqvas
oculis manuq; impervias partes velut
per cuniculos ingenioſo dolo aggredi-
ntur, pares adhibituri medelarum
valitates adverſus qverelarum mo-
menta, cum qvaſi de perverſo auxili-
ntur, per ea ſubvenientes per qvæ la-
oratur, calores caloribus amplius o-
erando compeſcunt, ardores potus
ti macerando reſtingvunt, fellis ex-
ceſſus amaris potionibus corrigunt, &
ngvinis fluxus defuſa inſuper venula
evocant. Nec aliam in ſecunda for-
una cum ſanis ineunt rationem, qvos
a fidiſſimi Naturæ ſtatores alimentis
omeſticis exercent, exercitationibus,
aliis modis conſervant, ut non faci-
integer judicii dixerit, an melior ſit
agiſtratus vel Medicus felicior, adeò
aviſſimis utriusq; muniis animi nun-

 qvam

qvam territi magnitudine & cordatâ manu, qvocunqve angulo aura ſpiret, pleno numero defunguntur. Et ſine his, qvis jam Reipublicæ foret ſtatus? Ab incolumitate civium, roboreqve corporum belli oneribus & negotiis civilibus ſuffecturo, imperii felicitas depeñdet. Unde ſapientiſſime Solenſis ille Crantor, Xenocratis auditor & amicus Polemonis, vitæ humanæ rationem & conſtituendæ civitatis artem velut in tabella adumbraturus, primas virtuti partes tribuit, bonæ valetudini ſecundas, tertias honeſtæ voluptati & divitiis acqvirendis ultimas conſignavit; ratus qvod res erat, malè virtutis ſtudium eminere, aut animum ad præclara facinora ſurgentem efferri, niſi ſalubri temperamento promoveatur, nec ullum in voluptatibus exercendis vel divitiis comparandis eſſe ſucceſſum, niſi utriusq; bona ſentiat corpus ſibi conſtans vel acqvirat. Reciproco inter ſe ortu certant, error

& ægri-

& ægritudo, ut modo hæc illum, modo hunc illa producat. Valetudinem plerumq; bonam contigiſſe ob bonos mores, *Celſus* pronunciat, qvos neqve deſidia, neq; luxuria tentarunt. Et ex *Galeni* noſtri ſententia, animi mores ſeqvuntur temperamentum. Qvippe divinitatis ille alumnus, animus noſter, talis ferè eſſe ſolet, qvalem eſſe vult ergaſtulum ejus qvo invitus clauditur, ſed ubi juſſu Superum ſibi domicilium metatur. In puriore, originis ſuæ memor, ſe clarius exſerit, & ad immortalia promptius adſpirat; torpeſcit verò ab ignobili onere corporis depreſſus. Hinc adeò Medicis olim Dania caruit, qvia luxum ignoravit, & gigantei roboris protulit incolas, qvia ſimplici victu contenti cives corpora non gravabant, nec medicinæ neceſſitate premebantur. Gloriatur hac vivendi ratione magni roboris & animi, magnæq; ætatis Heros

 Starca-

Starcatherus apud *Saxonem* noſtrum l. 6. Hiſt. Dan.

— ſtomachoq; placentia fugi,
Fortia complexus animo, namqve arma profeſſus
Aſpera veſtis erat, cultusq; parabilis olim,
Rara qvies, ſomniqve breves, labor ocia longe,
Propulit, & parco fluxerunt tempora ſumptu.

Apollinis autem proſapiæ id debet, ſi debere velit, Reſpublica à priſco vivendi & maſculo candore deficiens, peregrinisq; libidinibus enervata, qvod & cives habeat obedientes & fortes alumnos. Unum illis bonum eſt, qvod beatæ vitæ cauſa & firmamentum eſt, ſibi arte ſua fidere, in qvibus omnes optimi Conſulis notæ velut pacto fœdere videntur conſpiraſſe. Id ille ſedulò agit, ut ad purgandam patriam peregrina vitia, moresq; exotici corrigantur, providaqve ſeveritate cavet,

cavet, ne fundata legibus civitas, novis everſa legibus videatur, ſed eo animo imperet, ut pari animo cæteri obſeqvantur. Medicus qvoq; patriæ remedia patriis morbis conqvirit, civibusq; ſua bona commendat, ne peregrina medicamenta ſtomacho domeſtico faſtidium pariant, penitusq; ſubvertant ventriculum propriis aſſvetum. Suſpenſa etiam manu & libra eo pondere conſilia ſua inqvilina ægris admetitur inqvilinis, qvæ morborum domeſticorum magnitudini paria eſſe poſſint. Nihil ſibi ignoſcit, nec ægris remittit, ſed crudelitatis invidiam ad morbi iniqvitatem dirigit, non perſonas, ſine ſervili præmio ſuccinctus. Sint licet publici inter medicaſtros, qvorum inopia non laboramus, inſtitores, qvi ægros in reditu habent, qviq; impune occidunt, modo inter ſuos regnent; oderunt tamen hoc mercatorum genus Medici, amantes honeſti, qvanqvam etiam in Republi-

ca Utopiæ, de aliis enim nihil teſtari audeo, omnia ſint venalia, & cujusvis fortunæ teſſera pro donorum gravitate obveniat; non patitur tamen erectior animus ſe publicis malisq; exemplis rapi transverſum, qvæ videre debet, ut ex animo pravos mortalium mores deteſtetur, à nullo Medico corrigendos. Talem Medicum commendamus, qvi non eloqvitur magna, nec inani ſpe ſuos lactat, ſed qvi magna gerit, & fidem datam ſolvit. Non hic ex ſterqvilinio, ut Scarabæi, nec ex qvisqviliis, ut mures, nec ex qvercubus, ut glandes, ſed ex Jovis cerebro prognatus, qvanqvam id neſcire velint ingrati mortales, qvi rem inæſtimabilem emunt, vitam ac valetudinem bonam, cui non rei pretium, ſed vix operæ ſolvitur, qvod deſerviat, qvod à rebus ſuis avocatus, civibus vacet, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ laturus. Non ibit is in novos mores, nec à majorum Scholæ

ſuæ

ſuæ inſtitutis per avaritiam, per famæ oſtentationem deſciſcet. Sancta illi ſunt præcepta, experientiæ amica, religioſæ obſervationes tot ſeculis firmatæ, tot ægrorum chirographo obſignatæ, patriæq; civibus accommodæ. Indignum putat, contracto pallio inanes ventos involvere, omniqve fortunæ mentē operamq; dare. Aliter animatus *Cous* noſter, animo firmus & ad qvævis imperterritus, vocanti Artarxerxi nec lucro illectus, nec minis, ſibi conſcius qvantum patriæ gratæ debuerit, qvantū ſuis, digna apud omnē poſteritatem memoria, nuntium remiſit. Ad Democritum verò Abderam lubenter conceſſit, cui eapropter proficiſcenti univerſa civitas obviam proceſſit, eumq; patriæ ſervatorem & patrem ſalutavit. Si ſaperent mortales, qvi Medicos vix titivilitio æſtimant, turpe ſibi non putarent, qvod alijs fuit fructuoſum. Fabuloſo ævo cœlorum imperium Medici obtinuerunt, jam ad

Tartara relegantur. Qvid per Terrarum tractus & immenſa orbis ſpatia decurro? Omnium regnorum annales ſi evolvantur, nullum magnum imperium aut ſtetiſſe unqvam, aut feliciter ſurrexiſſe reperiemus, qvin vel Medicos vel medicinæ fautores ad faſces vel conſilia vocaverit. Qvicqvid de principe inventore judicent eruditi, Apin non pauci credunt Phoronei & Pythonis filium, Ægyptiorum deinde Regem, demum mutato inter Divos nomine, Numen. Sabor & Ginges Medorum Reges, Rex Arabum Sabid, Mithridates Perſarum, Ægyptiorum Hermes, Medici titulum & ſcientiam infra Regiam dignitatem nunqvam crediderunt, qvam nec Meſues faſtidivit Regis Damaſi Nepos, nec Abenſina Cordubæ Princeps, ſummi Rerum Medicarum conditores. Marcellus Empiricus Vir Inluſter ex magno officio Senioris Theodoſii in Veteri Codice audit. Apud Ateſtenſes Septem Viri erant,

ant, alibiq; veterum Inſcriptionibus
obilitati. Neq; Romanâ purpurâ in-
gnũ nomen exiſtimarunt Nicolaus V.
ontifex, Euſebius qvi Medicus fertur
Medici filius, Joannes XXII. Medico-
m Canonũ non imperitus Scriptor.
olo longiori ſerie in dictorum fidem
regrina exempla recenſere. In Nor-
egia noſtra Olaus Rex Sanctus, Ha-
ldi filius, dictus Digre, ſeu Craſſus,
Hiſtoria Norwegiæ *Snoronis Sturlei*
C. 1029. fertur curaſſe filium viduæ
riculoſo apoſtemate colli laboran-
m, morti vicinum, qvia nihil de-
ntire poterat: Rege enim manibus
oſtema comprehendente, ſtatim
natus fuit juvenis. Eadem potentiâ
nandi ſtrumas ſolo contactu, Reges
lliæ & Angliæ pollent. Memoriæ
ſtræ alij Medici obverſantur, qvi re-
m potiti ſunt. Medicæos in Hetru-
ex Medicis Magnos Duces ſuſpicit
bis Chriſtianus, qvi nec pilulas in
calibus Inſignibus erubeſcunt. Ra-
phael

phael Merellus Medicus, Senatorii dignitate non ita pridem in florentisſima Genuenſium Republica conſpicuus, octo ante ſe apud eoſdem Ligures veſtigijs pari ſucceſſu inſtitit. Qvid memorem amiciſſimũ nobis *Beverovicium* Dordracenæ Reipublicæ Senatorem, & *Nicolaum Tulpium*, tam Medicũ felicem qvam Anatomicum peritum, qvem Amſtelis ſibi Conſulem gratulatur. *Thomas Reineſius* Altenburgi, *Joannes Elemannus* Leidæ Conſularibus faſcibus fulgent, qvibus fortunam benignam gratulamur, nec invidemus, qvia etiam nos domeſticis Medicorum exemplis & ſucceſſibus gloriari poſſumus. Circa primos Academiæ Hafnienſis natales, *Petrus Albertius*, cujus opera & conſilio plurimum in Academia erigenda utebatur Rex Chriſtianus III bis ſupremum in Academia Magiſtratum geſſit, Juris Pontificij & Medicinarum Licentiatus. D. *Petrus Capitaneus* & D. *Johannes Franciſcus* Medicin:

næ Profeſſores bis qvoq; ſceptra Aca-
emica obtinuerunt, ſemel D. *Jacobus*
ordingius D. *Gellius Saſcerides* & *Parens*
oſter, cœlitibus adſcriptus. D. *An-*
reas Lemvicus præclarè de publica Aca-
emiæ Bibliotheca meritus, ter huic
neri ſuffecit, & rara temporum ſe-
ventium conſvetudine, ob eximias
us dotes, per biennium purpuram
anc iterato Academiæ prætulit. Huic
prudentia Medica pariter & civili
ppar D. *Andreas Chriſtierni*, officii
ublici difficultatem ad binos qvoqve
nnos produxit. Hiſce ſucceſſit in-
erruptis vicibus par illuſtre Medico-
um, *D. Thomas Finckius*, Senex libris
berisq; orbi notus, & D. *Olaus* Wor-
mius Vir immenſæ famæ. Uterq;, Me-
ici chori & eruditi orbis delicium,
ummo Academici magiſtratus mune-
e qvinqvies feliciter defunctus, ita
um civibus ſuis, qvaſi cum liberis pa-
entes vixit. De ſuperſtite adhuc Me-
ico Collega, Viro diffuſæ eruditio-
nis

nis D. *Chriſtiano Oſtenfeldio* non ita pri-
dem Rectoratus Academici onere de-
functo, parcior ero, ne affectus in affi-
nem, veritati videatur officere. Qvæ
negotia publico Academiæ nomini
difficillimis temporibus ſuſceperit ex-
pediunda, in Vita ejus tradit utriusque
Affinis & Collega meritiſſimus *Eraſ-
mus Pauli f. Vindingius*, ad qvem curio-
ſum rerum noſtrarum lectorem amando.
do. Neq; nos obtuſa adeò geſtavimus
pectora, ut Pœni: Depoſuimus enim
& nos olim iſtam purpuram, qva pu-
blica authoritate jam humeri reſplen-
dent, nec tertium, ſi majorum indul-
gentia permiſerit, eam ambituri. Be-
nè enim vixit, qvi benè latuit. Qvip-
pe interrogatus olim Cenſorius Ca-
to, teſte *Ammiano Marcellino* l. XIV.
qvamobrem inter multos nobiles ſta-
tuam non haberet, malo, inqvit, am-
bigere bonos, qvamobrem id non
meruerim qvam qvod eſt gravius, cur
impetraverim, muſſitare. Alii præter
Aca-

Academicam docendi provinciam, & Aulicam Spartam, vel Canonicatibus donati ſunt, vel fortunæ ſuæ acqvieverunt. Ne in ignota ſylva Lector oberret, placet omnium Medicorum nomina ad poſteritatis memoriam hic annectere, qvi hactenus in Dania ducentis penè annis titulo Doctoris vel Licentiati floruerunt:

Ægidius Joannis.
Alexander Kynſorum.
Ambroſius Rhodius.
Andreas Chriſtierni.
Andreas Kragius.
Andreas Lemvicus
Andreas Toxotius.
Aſſverus Payngk.
Bartolus Luxdorphius.
Caſparus Bartholinus.
Caſparus Kólichen.
Chriſtianus Bordingius.
Chriſtianus Fabricius.
Chriſtianus Foſſius
Chriſtianus Legardus.
Chriſtianus Luja.
Chriſtianus Oſtenfeld.
Chriſtianus Skytte.
Chriſtianus Stougard.

Chri-

Chriſtianus Torchilli Morſianus.
Chriſtophorus Baldeslow.
Chriſtophorus Dibvadius.
Chriſtophorus Roſtius.
Chriſtophorus Schultz.
Conradus Scattenbergius.
Conradus Remling
Cornelius Hamsfort.
Diedericus Eckhovius.
Elias Reimpoldus.
Erasmius Bartholinus.
Esbernus Nicolai.
Fridericus Arniſæg.
Fridericus Severinius.
Gellius Saſcerides.
Georgius Frid. Laurentius.
Georgius Fuiren.
Georgius Krugk.
Hadrianus Junius.
Helvicus Diedericus.
Henningus Arniſæus.
Henricus Coſterus.
Henricus Fuiren.
Henricus Hójerus.
Henricus à Móinichen.
Henricus Paſchaſius.
Henricus Paulli.
Henricus Preusman.
Jacobus Bordingius.
Jacobus Fabricius.
Jacobus Haſebardus.

Jacobus Janus.
Jacobus Swabe.
Janus Foſſius.
Janus Mulenius.
Janus Nicolai Naſchovius.
Janus Paludanus.
Joachim. Burſerus.
Joachim. Schelius.
Johannes Ant. Freudenburg.
Johannes Benzius.
Johannes Blikfeld.
Joh. Chriſtiani.
Joh. Chriſtoph. Kreutzaver.
Johannes Ebeling.
Joh. Frid. Treublerus.
Johannes Franciſci
Joh. Laurenberg.
Joh. Monaſterienſis
Joh. Paludanus.
Johannes Pratenſis.
Johannes Rhodius.
Joh. Scogardus.
Joh. Schelderup.
Johannes Warvich
Jonas Chariſius.
Juſtus Kortnumius
Lucas Paludanus.
Ludovicus Pouchius.
Martinus Æditiuus.
Matthias Jacobæus
Matthias Pauli Ripenſis.
Michael Lyſerus.
Michael Wulde.
Nicolaus Andreæ.
Nicolaus Bentzon Eqves.
Nicolaus Foſſius.
Nic. Hammerus.
Nicolaus Wichman.
Olaus Petræus.
Olaus Worm.

Ottho Sperling.
Paulus Moth.
Paulus Reſenius.
Petrus Albertius.
Petrus Bullichius.
Petrus Capitaneus.
Petrus Hegerfeld.
Petrus Johannis.
Petrus Ivarius.
Petrus Payngk.
Petrus Saxo.
Petrus Severini.
Petrus Vindingius.
Severinus Bentzon.
Severinus Hofman
Simon Paulli.
Stephanus Ram.
Tancredus Lælius.
Thomas Bartholinus.
Thomas Finckius.
Thomas Zegerus.
Wilhadus Adamius.
Wilhelmus Laurenberg.
Wilhelmus Wormius.

Tot illuſtria nomina vel memoria mihi vel merita vel annales & publica monumenta ſuggeſſerunt. Ex his *Andreas Chriſtierni*, diſcipulus Trincavellii, cujus ſcripta publici juris fecit, ad Præfecturam Sorenſem, relictâ Academia, promotus fuit. Alii numero multi, interq; eos honoris & amoris ergo mihi nominandi, *Thomas Finckius*.

Matthi-

Matthias Jacobæus, *Caſparus Bartholinus*, *Olaus Worm*, *Jacobus Janus*, *Petrus Bulichius*, *Paulus Moth*, *Nicolaus Foſſius*, ejusqve filius *Chriſtianus*, *Hipſhauſius*, *Ludovicus Pouchius*, Canonicatibus dicati. *Jacobus Fabricius* & Gener ejus *Simon Paulli* Prælaturæ Arhuſienſis dignitate aucti. *Chriſtiano Oſtenfeldio* Bibliothecæ Palatii Academici cura commiſſa eſt. *Matthias Paulli* olim Oeconomus Roëſchildenſis ſub hoc lapide in Templo Lucii Roëſchildenſis conditus legitur:

Exuviæ pii, Doctiſſimi & multarum rerum ac nationum experti Viri, D. Matthiæ Pauli Ripenſis Cimbri, artis Medicæ Doctoris, Canonici qvondam Roëſchildenſis & Oeconomi in Duebrøer / pie in Domino obdormientis XI. Januarii M DLXXIX. hic reqvieſcunt, ætatis anno 47.

In Templo Cathedrali Hafniæ in Sacello Rochi alius Medicinæ Doctor

reqvieſcit, cujus hoc Epitaphium ibidem extat:

Cum ter qvinq; ſuæ compleret luſtra ſenectæ
Doctor CHRISTOPHORUS triſtia fata tulit.
Vir bonus & Medicæ Doctor celeberrimus artis
Qvi ſummo geſſit munia digna Viro.
Profuit Hafniacæ Rectorq; Paterq; juventæ
Profuit & patriæ gloria prima ſuæ.
Membra levi nunc hic defuncta teguntur ab urna,
Mens cum cœlicolis illius aſtra colit.

Cæteri favore DEI & Regum contenti vixerunt, ab alijs dignitatibus hactenus immunes. Ad gloriam tamen Medicinæ ſpectat, qvod *Jonas Chariſius* primum Medicinæ Doctor, mox Juris, ad aulam Divi *Chriſtiani* IV evocatus, variis legationibus illuſtribus defun-

defunctus olim ſit magna cum laude, & familiæ, jam Nobilis, ſplendore illuſtri. Pro magno qvoq; medicinæ incremento, & Medicorum honore interpretor, qvod ſereniſſimi Regis *Friderici III*, Domini noſtri Clementiſſimi, Archiater *Petrus Bullichius*, inter Conſiliarios Cubiculi Regii, Collegiiq; Status Aſſeſſores, non ita pridẽ magnificè adoptatus ſit. His exemplis caput efferunt Medici, dum alii in puteo miſerè ſubmerſi perierunt, ut *Hammerus* & *Vaſchovius*, alii in carcere vitam vel traxerunt vel finiverunt, qvod *Dibvadii* aliorumq; fuit fatum, alii paupertate conſumpti, alii ſpreti neglectiq;, alii voluntario exilio extra patriã defuncti, ut *Rhodius* qvi Patavii obiit, *Scogardus* qvi Conſtantinopoli, Sultanis charus, defunctus, & *Reſenius* qvi in itinere Hieroſolymitano periit, alii deniq; pene invidia & Empiricorum aſtu conculcati, medicinæ ſtudiis ferè ejuratis, aliud vitæ genus ſibi optarunt. Plura non dico, qvia mi-

ſerentur qvidē boni, ſed nemo ſuccurrit, & fortunam ſibi qvisq; vel fecit ipſe, vel meruit, dum illi bonitate Principum abutentes, hi ex modeſtia nihil rogantes, clemētia Regia vel exciderunt, vel uti non potuerunt. Nos cæteri fortunæ acqvieſcimus, qvia faventem Regem habemus, qvi omnium bonorum loco eſt. Huic poſt DEum, ſoli omnia debeo, cujus adminiſtratione ac providentia contingit mihi pingue otium, arbitrium mei temporis, & ex voto imperturbata publicis occupationibus qvies. Huic cum Senatu Romano, publico Medicorum Danorum nomine, acclamo: ô TE FELICEM: qvod cum dicimus, non opes illius, non imperij hæreditarii magnitudinem, ſed Regium animum miramur. Eſt enim demū vera felicitas, felicitate dignum videri. Acclamamus Medici magna noſtri fiducia, majore tamen tui: Crede nobis, crede Tibi; alius fortaſſe alium, ipſum nemo ſe deceperit, nec Tu, Rex inclyte, nos.

Th.

Th. Bartholini De Erroribus Danorum in Medicina & Diæta,

DISSERTATIO NONA.

NUnqvam majori periculo peccatur, qvam ubi ſanitatis ſit jactura, inter mortales optimæ. Nec tamen freqventius errores committuntur, qvam ubi minimè conveniebat, ut mirum non ſit, qvod pauci ætate noſtra majorum ætatem æqvent, vel definitum vivendi terminum attingant; ſed ætas parentum pejor ſit avis, detq; progeniem nobis vitioſiorem, dum multi in ipſo vitæ exordio & ingreſſu deſinant vivere, multi diu qvidem vitam protrahant, ſed variis ægritudini-

bus miſeram. Ab omni verò errore Boreales ſibi cavere debent, propter inqvilinum hoſtem. Anguem enim in ſinu gerunt, cui niſi in tempore occurrant, nullus deinde evadendi locus relinqvitur. Cumq; perpetuus hoſtis, ſcorbutus, nos comitetur, ſedulo providendum ne à recta vivendi norma deflectamus, qvippe in bello non licet bis peccare. Ego, cui errores varii non ſemel inter noſtros cives notati, mearum duxi partium, ſi emendare non valeam ſingulos, in univerſum tamen illos atro carbone ſignare, unde maxima incolis pernicies imminet.

Princeps error, à qvo cæteri dependent omnes, in victu conſiſtit. Ingluvies enim omnium morborum mater eſt, & ciborum ſatietas nimia, onerat ventriculum, excrementis fomenta ſuggerit, & univerſum corpus torpidum reddit. Accedit copiæ ciborum longa ſeſſio & ad menſam accubitus

ubitus protractus, qva qviete ſcorbu-
o feneſtra aperitur. Peccatur ſæpe
nter noſtros, præſertim ditiores, in
luſculas horas protractis prandiis,
vibus colluvies in corpore & lerna
nalorum cumulatur. Hinc ruſtico-
um militumq; ſalubrior ſtatus, qvi &
revi frugaliq; paſtu, & ſtando ſibi
onſulunt, agilesq; & prompti ad exer-
itia, ſanitati proficua, accedunt. In-
ehitur in Cimbrorum morem *Jo.*
arclajus in Icone Animorum, qvod ad
nediam noctem commeſſationes pro-
rahant, & compotationibus nimiis
enitalem vim extingvant. Qvan-
vam verò omni culpa non vacent,
ro patriæ tamen civibus Satyrico Sa-
yrici illud oppono:

Loripedem rectus derideat, Æthio-
pem albus.

onvivia ſolennia & Nuptiales cœnas
onfundit cum prandiis cottidianis,
væ rarò ultra horam extenduntur,
ariis ſermonibus diſpunctam. Diſpa-

res qvoq; ſunt mores noſtri à veterum Danorum, qvi liberius ſe epulis poculisq; ſeculo barbaro invitarunt. In Ingello reprehendit olim Starcatherus apud *Saxonem* l. 6. qvod nimiæ ſaturitatis uſu oſcitans, partam edendo crapulam fœda ructatione exhalaret, Saxonicamq; imitatus illecebram amplißimis à ſobrietate exceßibus aberraſſet. Nimis autem & ille rigidus ciborum exactor fuit. Reprehendit enim ibidem in Rege luxum Teutonum, qvod excoctas aqvis epulas delitioſæ ſatietatis ſtudio rurſum igni torrendas præberet. Qvi tamen coqvendi modus noſtris cocis qvoq; uſitatus etiam in familia frugali, qvia duriores carnes hoc pacto melius excoqvuntur. Qvemadmodum autem veteres illi Dani luxum in cibo & potu à Teutonibus didicerant, ita frugaliori cœnæ jam aſſvevimus, familiaritate Italorum, Hiſpanorum & Gallorum uſi: qvippe veteres facilius ferebant plenum & ſu-

per-

perfluum victum, qvam nos, qvi de-
icere corpora noſtra à veterum robo-
re obſervamus, immutare debuimus.
Veteribus tamen omnibus luxum ex-
probrare non debemus, ſicut nec no-
ſtris frugalitatem. Iliacos intra mu-
ros peccatur & extra. Qvicqvid ve-
teres peccarunt, peregrinorum com-
mercio imputandum. Ita *Olaus Magnus*
pro omnibus Boream incolentibus
peroravit l. 13. c. 36. Olim enim, uti
ibidem verè narratur, Septentrionali-
bus populis erat una ſvavis, & amœna,
ac ſecura in edendo, bibendoq; ſimpli-
citas; qvæ ſanos, robuſtos, fortes, pru-
dentes, & ſtrenuos, in militaribus præ-
ſertim exercitiis, efficiebat; nunc au-
tem peregrinis farcinatoribus, & co-
qvis accitis, ea morum qvalitas in ven-
trem introducta eſt, qvæ adeò effre-
nem laſciviam generat, ut ſobrietate
neceſſita, nihil utile, aut rectum corde
cogitare poterit, aut inchoatum au-
gere, vel manibus operari. Inprimis
tamen

tamen potandi conſvetudinem in ſuis culpat paſſim *Olaus*, & in Danis priſcis *Saxo* l. 5. qvi alibi l. 8. bibacis cujusdam hiſtoriam conſignavit, nullo Regio edicto perterriti. Aſtutus ille publicam continentiæ legem varia intemperantia ſolvit. Vetiti enim liqvoris guſtu, minutim liguriendo uſus, deſiderium ebrietatis explevit, affixamq; ſibi culpam ſorbitionis titulo tuebatur. Sed adjecto à Rege Snione minarum terrore, non modo bibere, verum etiam pitiſſare prohibitus, conſvetudini tamen imperare non potuit. Madefactis enim potione cruſtulis, capace liqvoris offula veſcebatur, cupitamq; crapulam lento guſtu provexit. Tandem cum Rex tale qvid deinceps audentem, capitaliter eſſe plexurum teſtaretur Deos ſuos, ille tamen bibo mortem temperantia leviorem, vitamq; qvam luxum deponere tolerabilius ratus, palam potioni indulgendo ad calicum uſum libera fronte convertit,

ertit,aſtuq; in audaciam verſo,regiam nimadverſionem operiri qvam frugi ieri maluit. Unius verò bibonis intemperantia omnes defamare non debet. Non enim omnes olim ebrii, nec omnes jam ſobrii. Excuſari veteres poſſunt, & noſtri, ſi qvi ſint qvi imio ſe potu aſpergunt, qvod ad duriorem ſiccioremq; cibum diluendum, opioſus liqvor reqviratur. Præterea, qvum cerealem liqvorem potent, una otione & cibi ſatietatem & ſitis exinguere dicuntur. Potatores enim erevіſiæ rarò edaces ſunt, qvum cereiſiæ nutriendi magna inſit vis. Qviq; a Septentrione calices ſiccare conſveerunt, pro ſe habent *Hippocratem* Aph. 11. Potu enim qvam cibo reci proclivius eſt, ſeu, ut tranſtulit *elſus* l. 1. cap. 2. ſi qva intemperantia beſt, tutior eſt in pôtione, qvam in ca. Qvippe liqvidam potionem, vanqvam copioſam, ventriculus Sepentrionalis, ſeu robuſtus facillimè vel

vel per corpus demittit, vel expellit. Non hæc eo à me dicuntur animo, ut errores defendam, ſed ut eosdem excuſem tegamve in gratiam patriæ, qvæ bonos juxta ac malos, hoc eſt, frugales & compotationibus deditos, aliorum vicinorum more, ſinu ſuo complectitur. Noſtris interim temporibus auream mediocritatem ſvadeo, & in utroq; temperantiam.

Satietati utriq; alius error accedit nigro obeliſco dignus. Ante paſtum qvieſcunt noſtri, & poſt paſtum torpent; hinc intermiſſa exercitatione omni nec corporis excrementa diſſipantur, nec calor excitatur ad ciborum coctionem ſufficientem neceſſarius. Ignorant, vel negligunt *Hippocratis* oraculum 6. Epid. ſ. 4. §. 28. cibos labores præcedere oportere, ſive exercitationes, de qvibus poſt Coum loqvitur *Celſus* l. 1. cap. 2. De Monachis in Sorano Cœnobio decantatus eſt verſiculus:

Mona-

Monachorum famuli ſunt omni
tempore tardi,
Sudant qvando vorant, frigeſcunt
qvando laborant.

ı ipſa præterea cœna delinqvunt no-
ri, qvia nulla perſonarum vel tempe-
mentorum ratione habita, ad potum
ındem & cibum invitantur pariter
onvivæ omnes. Qvod officioſi hoſpi-
s officium, non poteſt non eſſe cum
riculo conjunctum. Robuſtus qvip-
ſolidiores cibos etiam pleno mo-
o, imbecillis parcius vel liqvida re-
irit. Non ſemel dolui in conviviis
utioribus, magnis precibus, etiam
i infirmiore valetudine eſſent, more
trio, ad cibum ſumendum cogi, &
potum liberaliorem invitari, æqvè
ſanos & valentes, nec ullum diſcri-
en, niſi apud maximè familiares, ad-
itti. Hinc magno ſtudio ad Ditis
enam invitantur plurimi, dum ad
ıicos divertunt, qvibus eſcam po-
nq; qvaſi cum indignatione obtru-
denti-

dentibus, refragari non audent. Unumqvemq; ſuo ſe pede & ſtomacho metiri, verum eſt. Et eleganter *Juvenalis* Sat. XI.

—— —— buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ.

Variat ventriculi magnitudo, variat uniuscujusq; virtus, ad cujus capacitatem, menſura aſſumendorum expendenda, ne ſcyphi ventriculo capaciores evacuentur.

Inter fercula male miſcentur carnibus piſces, qvæ ſingulis vel paſtibus vel diebus eſſent ſejungenda. Diverſo elemento gaudent, & ſtomacho & olla coqvinaria. Eduntur facilius qvam concoqvuntur; niſi aliter ex conſvetudine judicandum & ventriculi conſtitutione varia, cujus in primis habenda ratio, ut calidi ſicciq; piſcibus, frigidi veſcantur carnibus. Negligentiores hac parte ſunt cives mei, partim gulæ partim menſarum ſplendori inſervientes, nec enim facilè in convi-

viis

viis aut cœnis illuſtribus carne aſſa pariter & elixa opiparè inſtructis deſiderari patiuntur coci noſtri piſces fluviatiles, Carpium, lucium, auratum, & marinos aſellum, ſalmonem, conchyliorumq; genera, gammaros, oſtreas, qvillas, cancros, & cætera hujus cenſus.

Ex mala hac ciborum variorum miſcela, oritur alter error patribus noſtris ignotus, nobis jam familiarior qvam utilior. Ne enim piſces trinis undis merſi infelices ſint, vinum Rhenanum alliciunt, qvod qvia vim habet diureticam, malo conſilio inter fercula adhibetur. Enimverò deducit ſecum ad vias urinæ cibum necdum coctum, piſcesq; crudiores, unde illarum partium obſtructio metuenda & calculorum uberrima materia. Nec ſatis illi rebus ſuis proſpiciunt, qvi poſt cœnam ſpiritum vini bibunt, vel alias aqvas generoſas, qvas Vitæ appellant, pro coctione duriorum ciborum promovenda. Excident voto, niſi fallor

ego, qvi tali potu cœnas claudunt, præcipitantq; ad venas cibum priusqvā poſſit concoqvi. Qvod ſi neceſſarius ille foret, præferendus eſſet qvi cum ſambuci baccis, vel ſcorbuticis herbis extrahitur. In uſu poculorum vulga ris error eſt, à paucis obſervatus; qvod uno ſcypho vel cantharo omnes con vivæ contenti ſæpe ſint, ampla enim & capacia cum ſint nobis poculorum genera, anteqvam evacuetur unum ordine menſæ accumbentes circumi omnes. Dici non poteſt qvam id pro pagando Scorbuto inſerviat, ſiqvidem & halitu & ſaliva Scorbuto infectu cantharum inficit potumq;, vicino labem iſtam, ſi ea careat, communicat

— ſicut grex totus in agri
Unius ſcabie cadit, & porrigine
porci,
Uvaq; conſpecta livorem ducit a
uva.

Prudentiores Galli & nitoris & ſanit tis gratia, vitrea pocula totiens aqv
elu

eluunt, qvotiens evacuantur. Et in patria jam ſimilia imitantut, qvi ſupra vulgus ſurgunt; qvippe tot poculis argenteis cœnam inſtruunr, qvot convivæ numerantur, ut ſibi qvisq; ſuum habeat.

Butyrum, barbararum gentium laudatiſſimus cibus *Plinio* lib. 28. c. 9. etiam in Septentrione uſus qvotidiani, inter poſtrema fercula tamen malè ſumitur. Qvem etiam morem aliæ gentes retinent, qvanqvam noſtris menſis & inter prima & ultima ſerviat. Rectius ab illo exordimur prandium, non tam qvod venenis reſiſtat ſicut nonnulli ſuſpicati ſunt, qvam qvod abſtergendi vi qva præditum eſt & purgandi, extergat & mundet ventriculum ab excrementorum reliqviis, anteqvam novus cibus ingeratur. Abſtergere butyrum certa eſt experientia. Ex *Plinio* l. 28. c. 9. mollit, replet, purgat. At adſtringere, præter verum ibidem dixit, ut optimè *abſtergere* reponat *Be-*

verovicius, Vir eruditiſſimus, nobisqve olim amicus. Qvam lectionem veteres Medici probant. *Galenus* lib. 10. ſimpl. Med. Fac. in ventrem devoratum, & ex eo diſtributum, magnificè conferre expuitionibus ex pulmone, idq; in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, qvos etiam concoqvit. Qvo ſolo remedio à ſuffocatione, pulmonibus aſthmate oppreſſis, puerum memini ſervatum. Oelandiæ Inſulæ butyrum tantis laudibus effert *Olaus Magnus* l. 13. c. 45. ut qvibus multa Medicorum auxilia vel conſilia prodeſſe neſciunt, ſolus videatur potus ille è butyro expreſſus, optabilem afferre ſanitatem; hocq; butyrum tanqvam aromaticum & cæteris omnibus ſalubrius, appretietur. Qvin butyrum noſtrum bonitate vincat, non dubito, qvum paſcuarum ubertate & herbarum ſalutarium copia multas Borealium terras ſuperemus. De fide tamen Olai in hiſtoria Septentrionali naturali, dubi-

dubitare nolim, qvanqvam *Cardanus* malè traduxerit Virum patriæ ſuæ amantem: Ita enim in Hipp. de Aere, Aqvis & Locis §. 7. de Venerando iſto Archiepiſcopo judicat: Hiſtoria Olai Magni cum ſeqvatur morem qvorundam temporibus noſtris qvi pauca ſcientes multa ſcribere volunt, pro uno ſingulari cognito ab ipſo appoſuit decem ſubrepta ab authoribus antiqvis, maximè à Plinio, ut in illa hiſtoria legas totum pene Plinium malè tranſcriptum, & poſſis vere Terentianum illud uſurpare, ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas. Qvicqvid ſit, butyri virtutes nemo ſatis deprædicaverit, licet in fine cœnæ minus tutò comedatur, qvia ſtomachum laxat, impeditq; arctiorem cibi amplexum, ſicut veſicam ab oleo vel pingvedine flaccidam fieri videmus. Butyri qvidem uſus ſalutaris, præſertim Majalis, ob herbarum florentium virtutes imbibitas, & plurimis optimi nutrimenti

 loco

loco eſt, at nimius, exitialis. Hinc cauſam non nemo repetiit, cur in Germania lepra increbuerit. Noſtris hominibus, qvi vel aſſvetudine vel luxu butyrum tantopere in cœna extrema appetunt, author ſum, ut parum butyri, & pluſculum panis eligant, ita enim lubricitatem illius, hujus ſoliditas corriget.

Pari errore tenentur, qvi fructus horarios ad ultimum prandium relegant. Sæpe diſſenſum hic meum à noſtris tricliniis profeſſus ſum, & in prima menſa popoſci, fraga, ceraſa, morus, rubus Idæos &c. qvam cautionem me *Galenus* docuit, qvi ſola pyra auſtera excipit in ultima menſa proficua, aliaqve adſtringentia, qvibus ventrem dejici iis qvi ſtomachum habent imbecillem, exemplo Rhetoris Protæ probavit l. 2. ſimpl. Alim. Fac. Reliqvi verò fructus ventriculo repleto & cibis ſolidioribus farcto ingeſti corrumpuntur anteqvam cum alimentis con-

coctis

coctis expellantur. Notandum tamen de acidiuſculis fructibus, ſi poſt ſumptum cibum comedantur parcè, ciborum concoctionem juvare in ventriculo non adeò valido, qvo fine libenter pomis acidiuſculis aliisqve poſt paſtum veſcimur. Acida qvippe omnia ventriculo amica.

Vulgi qvoq; erroribus annumerandi ſunt cibi nimium ſaliti, qvi in muria qvaſi ſitum contraxerunt, nec ſatis eloti & aqva fontana macerati ſunt anteqvam ollæ immittantur. Oeconomo proficuum hunc coqvendi modum concedo, neutiqvam ſanitati. Ad ſolum odorem vel conſpectum talium ciborum, in madorem ſolvor, tanta ſalis, etiam viſi, in ſudore pellendo poteſtas. Salis qvidem beneficio à putredine conſervantur carnes, ſed ſi ultra debitum tempus illi immergantur, nimia humiditate diffluentes putreſcunt. Id expertum olim fuit cadaver Regis Frothonis, qvod ſalitum

 trien-

triennio proceres aſſervaſſe & regali vehiculo geſtaſſe *Saxo* prodidit l. 5. At ubi putidos artus extrema corripuit ſanies, nec tabes ſale reprimi poterat, ſecus Weram Sialandiæ pontem tumulaſſe.

Aromatis peregrinis cibos ſuos condiunt in Dania pleriq; , qvaſi ſimplicem cibum gula faſtidiret, vel domeſticæ herbæ deficerent. Hæc aromata Orientalium cœlum ſapiunt, calore nimio æſtuant, nosq; accendunt, & inflammant potius qvam nutriunt. Advehuntur illa magno crumenæ noſtræ damno ex Indiis, ſed majore ſanitatis. Ignorarunt illa in cibis condiendis majores noſtri, & qvietiores & ſaniores. Ignoravit illa Populus Romanus deliciis peregrinis alioqvin addictiſſimus. *Galenus* l. 3. Alim. Fac. ad obſonatricem artem pertinentia recenſens, aromatum peregrinorum non meminit, ſed domeſtica Romanorum affert, qvibus omnibus & nos

abun-

abundamus; nempe recitantur ex ſeminibus qvidem, anethum, apium, carum, libyſticum, cuminum: ex plantis verò ipſis, porrum, cæpa, anethum, thymum, ſatureja, pulegium, mentha odorata, origanum. Jovem lapidem jurarem palato & ventriculo gratiora eſſe fercula hiſce condita, qvam ſi univerſæ aromatum officinæ excutiantur. Nunc poſtqvam tot onerariis navibus in Europam peregrina aromata invehuntur, multis millionibus argenti emungimur, &, qvod dolendum, cruentorum bellorum cauſæ foventur. Tenue ſalinum in menſa ſufficeret, pacis ſocium, & ſi rebus Europæ conſultum vellemus, ſpretis Orientis mercibus, ex hortis noſtris illa ſubſtitueremus qvæ minori ſumptu ſtomachoq; gratiora haberi poſſent. Luxus eſt, non neceſſitas, peregrinis uti, & divitias ſuas prodere, qvas utilioribus rebus impenderemus, ſublevandis nem-

pe pauperioribus & templis collapſis reparandis. Scilicet

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Divitiæ molles.

Olim apud majores noſtros ſanctiores erant mores. Suis bonis fruebantur, & pecuniam ſervabant, qvam nos profundimus. Nemo facilè invenitur jam Oeconomus, qvin capſulam poſſideat, variis loculis diſtinctam, pipere, zinzibere, cinamomo, Croco, cariophyllis, macere plenam, qvam mulieres noſtræ vocant, Urteſkriin. Nulla familia eſt, qvæ non conſumat qvamplures ſacchari pyramides, in qvem uſum conficiuntur thecæ argenteæ, ſtanneæve variorum modorum, (qvia & harum habitus ut hominum pro temporum diverſitate varius eſt,) ſaccharo in pulverem trito refertæ, qvibus menſæ ornantur, qvæq; in promptu ſemper ad manus prandentium

ium adſtant. Sic adoptamus peregri-a, repudiato melle inqvilino, de qvo eſtatur *Galenus* l. 4. ſimpl. medic. Fac. qvod rerum omnium dulciſſimum, ntemperaturis frigidioribus, ſive propter ætatem, ſive propter naturam corporis, addo, regionis, ſive etiam ob morbum facilè in bonum & moderatum ſangvinem convertatur: qvippe cum neq; nimium in iis corporibus ut excalfiat, aut alteretur, verum ei qvod modice coctum fuerit, ſimile qviddam perpetiatur, planè illis adſimilatur, prorſusq; ſervat dulcedinem. udibrium debemus juſtis de cauſis mercatoribus & Barbaris Indis, qvi diſcunt ex noſtro luxu inſano, peregrinarumq; mercium malacia. Sapienus rem familiarem adminiſtrant Belæ, qvi, qvanqvam merces iſtas nobis cæteris Balthici maris accolis affeunt copioſius, parciſſimè tamen iisem in cibis condiendis utuntur. Nos ontra, & Poloni, & Sueci & Germani, juſcu-

juſcula pipere, croco, cinamomo re-plemus, piſces coqvimus, farcimina replemus, omne ferculorum genus aſpergimus ſaccharo, pulvere zinziberis, Cinamomi & cariophyllorum. Qvibus impenſis immenſæ opes dilapidantur, & deglutiuntur, ciborum inqvilinorum nativus ſapor inqvinatur, ſangvis noſter accenditur, & univerſæ naturæ noſtræ vis infertur, dum alienis aſſveſcimus à temperamẽto noſtro prorſus diverſis. Piper patrocinium ventriculorum imbecillium videtur accepiſſe, qvos calefacit. Sed ridere ſoleo cocos noſtros, qvi juſculis integra grana piperis incoqvunt, qvæ deinde expuuntur, &, qvia comminuta non fuerunt, inutiles cibariis ſunt. Qvippe, ut loqventem *Galenum* inducam l. 1. ſimpl. Med. Fac. c. 12. ſi piperis particulæ à nobis accipere debent mutationis initium, eoq; accipiant facilius, qvo fuerint minutiores: mirandum non eſt, ſi eas tantò citius excal-
facere

icere experiamur, qvantò accuratius n minimas fuerint comminutæ. Ino- vit hic aromatum uſus inter mulie- es noſtras, ut dediſcere vix poſſint, iſi dextræ manus auxilio videantur rivatæ. At ſi hortorum noſtrorum xcutiamus pulvillos, ea inveniemus væ paria cum illis faciant, & nobis miliari naturæ conſvetudine magis onducant. Pulegium, ſatureja, Lactu- , ſalvia, majorana, thymus, baſilicon, etroſelinum, paſtinaca, raphanus, al- um, ſinapi, ſal &c. inqvilina omnia, o condiendis cibis & ad gratiam ſa- oris & ſanitatem nobis ſufficiunt. onendum tamen, non placere mihi corum noſtrorum liberalitatem, qvi nnia eduliorum genera petroſelino l crudo vel cocto exornant. Pompa a illis damnoſa accidit, qvi calculi etu terrentur, & gravidis, qvippe troſelino vim pellendi calculos & tum ineſſe nemo Medicarum rerum ritus diffitetur. Hac providentia,

qvam in veteribus laudamus, inclytus fuit Curius, qvi *Satyrico* narrante,

——— parvo qvæ legerat horto
Ipſe, focis brevibus ponebat oluſcula, qvæ nunc
Sqvalidus in magna faſtidit compede foſſor.

Condita qvoq; abblandiuntur delicatioribus gulis noſtrorum civium, & primæ & ultimæ menſæ apponenda, Ventriculo tam noxia, qvam grata palato. Sive carnes aromatis condiantur, ſive fructus ſaccharo obducantur, operæ pretium perdimus. Utrumq; damnat *Celſus* l. 1. c. 2. Condita enim omnia duabus de cauſis inutilia, qvoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & qvod modo parum eſt, tamen ægrius concoqvitur. Conſentit *Galenus* qvod ægrius multo hujusmodi concoqvantur, qvam ipſa caro; qvoniam rudis ferè eſt horum ſubſtantia, qvæ plus negotii ipſa carne exhibet. Dulcia qvoq; illa, qvibus fructus incruſtantur

qvam

qvanqvam ſale hoc dulci conſerventur, ſtomachum tamen viſcoſitate ſua offendunt, illis digna qvibus in ſolo palato vivendi eſt cauſa.

Longius à ſobrietate recedunt, qvi in vino cibos coqvunt, & ex vinis ſorbitiunculas conficiunt, qvem morem inter noſtros uſitatum, ſalſe ab erudito Gallo, Boream peragrante, nemini deriſum. Nec injuria. Vini enim virtus ideò commendatur, qvod intus viſcera calore foveat, foris infuſum refrigeret. Hic intus & extra calet. Nec ſatis calet, niſi & aromata validiora addantur, qvæ oleum camino affundant. Ineptus hic eſt luxus, nam coctura expirat vini virtus, ut melius conſulerent ſibi noſtri, ſi vel muſto noſtro pyrorum, vel aqva cibòs coqverent, ne deciperentur. Peccatur hic ulterius, qvod peregrinum potum ſolo noſtro adoptemus, qvem noſtrum eſſe Natura noluit. Diligenter notatum à Naturæ Conſultis, braſſicam viti eſſe

eſſe adverſam. Imò, teſte *Palladio* l. 9. tit. 5. raphanum ſicut braſſicam, conſtat eſſe vitibus inimicum, nam ſi circa ſe ſerantur, natura diſcordante refugiunt. Utrumq; autem vulgi neceſſitati conceſſit patriæ Naturæ benignitas, ut vitem neſcia natura apud nos naſci teſtaretur, qva in cibo & potu abutimur. Non alienum fuerit, præeunte *Plinio* l. 14. c. 5. commemorare hoc in loco, qvod Androcydes ſapientia clarus ad Alexandrum Magnum ſcripſit, intemperantiam ejus cohibens: Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſangvinem terræ: ſicut venenum cicutæ vinum eſt, hic & vinum cicuta homini. Qvibus præceptis ſi obtemperaſſet, profecto amicos in temulentia non interemiſſet, prorſus ut jure dici poſſit, neq; viribus corporis utilius aliud, præſertim Bacchi accolis, neq; aliud voluptatibus perniciofius, ſi modus abſit.

Ad Diætam Venus ſpectat, circa qvam pauciores errores in patria oc-

cur-

currunt: non qvod genitalis vis nimia compotatione extincta ſit, qvæ calidorum potuum freqventi uſu ſolet excitari, ſed, qvod contra rigidam *Barclai* cenſuram advertendum, nativa temperamenti victusq; craſſioris conſtitutione, qva ad modeſtam Venerem feruntur. Hinc publica proſtibula nulla conceduntur, qvia ſanctius ad Oceanum noſtrum vivitur. Homines tamen & hic ſunt, & qvos non credimus, exterorum moribus imbutos, alienum fundum arare obſervatum. Sedulò cavent Reges noſtri Auguſtiſſimi, ne vulgatum id fiat vitium. Rex Daniæ JOHANNES A. C. 1496. proſtitutis fœminis ſingulare capitis tegmen ex nigro & rubro colore imperavit publico edicto, qvod recitat *Huitfeldius.* Et CHRISTIANUS IV. lib. 2. Receſſ. cap. 5. §. 4. præter mulctam pecuniæ, publicam in Eccleſia pœnitentiam injunxit. Cæterum magno Reipublicæ detrimento, qvod Viri tardè, Vir-

 gines

gines citò matrimonio inter ſe copu-
lentur. Unde & numero paucioreſ
cives, & pauci illi procreantur imbe-
cilles. Et qvod deterius, ſæpe juven-
culi uxores decrepitas ducunt, vel de-
crepiti decrepitas. Qvæ conjugia ad
Rempublicam ſtabiliendam nihil con-
ferunt. Verum enim tritum illud:

Si vis nubere, nube pari.

Rarò qvidem, evenit tamen noſtr-
memoria, ut juvenis Vir vetulam 90
annorum edentulam duceret, qvæ alii
ſuffulta in templum ducebatur. Vidi
& juvenculam pulcherrimam deſpon-
deri ſeni ſeptuagenario. *Olaus Magnus*
qvidem l. 16. c. 51. ex conjugio ſenum
Virorum & puellarum gigni maſculo
potius qvam femellas Medicos Septen-
trionales perſvadere ſuis refert; ſed in-
vita ratione & experientia. Torpe
qvippe in illis ſeminalis virtus, in hi
feriatur. Obſervavi verò ex ſene patr
gigni qvidem nonnunqvam filios, ſe
rarò ad juſtam ſtaturam pervenientes

vi

vel certè imbecilles. Compar natura utriq; invenienda. Nam, ſicut ad rem canit *Lucretius* lib. 4.

> Usq; adeò magni id refert; ut ſemina poſſint
> Seminibus commiſceri genitaliter apta.

Cauſa errandi eſt, qvod nullum apud nos ſit jus trium, vel ſex, vel duodecim liberorum, nec ulla lege ad matura conjugia, ſicut apud Lacedæmonios, juvenes compellantur, nec ſeniores ad examen vocentur, ſi conjugio apti ſint. Effectum, non cauſam vidit *Barclajus*, qvare tam rari ſint jam inqvilini juvenes, ut externo milite opus habeamus, qvando bellis implicamur. Qvanto id Reipublicæ periculo fiat, dicant illi qvi tutius proprio qvam peregrino militi fidendum ſvadent: ego enim hic manum de tabula. Qvia verò circa puerperia verſamur, puerperarum errorem reticere non poſſumus, qvæ à partus difficultate expeditæ, ventris vin-

vincula negligunt: unde freqventes ſuffocationes uterinæ poſt partum. Tentant qvidem nonnihil vinculo ſtricto & anguſto, ſed ut uterus & viſcera interiora in locum conſvetum reducantur, univerſum abdomen faſcia lata primis hebdomadibus involvendum, qvaſi infans faſciis. Non tangam potum puerperarum noſtrarum. Cerevifia eſt, eaq; calida ad nonum diem. Aliæ tamen frigidæ ſtatim aſſveſcunt in primo puerperio, ne calidi potus in ſeqventibus puerperiis ſit neceſſitas, ſi forte in æſtatem inciderint. Conſvetudini hic omnino litandum. In Inſulis Feroënſibus puerperæ pro potu medicato hauriunt adipem balenæ, qvo ad elychnia nos utimur. Nec malè, qvia balſami inſtar diſtentas partes interiores lenit, vulneratasq; ſanat. Ad hanc lineam obſtetrices pertinent: qvarũ errores adeò ſunt multi & craſſi, ut iis recenſendis delaſſarer. Unã verò cauſam agnoſcunt, imperitiam, de qva dictum

dictum nobis in Diſſert. *De Inſolit. Part. Vtis*, qvam innoxiè profitentur, qvia pudet à Medicis diſcere, & à Medicis examinari. Hinc per mortes puerperarum experimenta faciunt, & ad divitias graſſantur. Maximus illarum error, ille eſt, qvod ignaræ ſint occaſionis opportunæ, & ſæpe ante naturæ conatum puerperas fatigent & fruſtra exerceant. Qvod ſi deinde in partu difficili miſerum infantem digitis vel ungvibus læſerint, pro monſtro nato verum imperitæ traducunt, qvale exemplum in prædio meo Hageſted contigit, qvod in Conſilio Medico *De Cometa* nupero pluribus verbis retuli. Nato jam infanti ante ſuctionem exhibent aliæ Thericam, qvæ nimis calida, aliæ Diaſcordium Fracaſtorii, qvod improbat *Simon Paulli*, Eruditus Naturæ myſta & Floræ amor, niſi infectus aër intercedat, aliæ oleum amygdalarum cum ſaccharo penidio: Ego ſvadeo pulſam, vel aqvam Cornu Cervi cum

pulvere antiepileptico, vel Unicornu, vel Marchionis, cujus conſilii ſalutarem eventum expertus ſæpe ſum, pueroſq; ab Epilepſia, puerorum morbo, præſervari obſervavi.

In veſtitu non aliter delinqvunt noſtri, qvam qvod peregrinum ament habitum & peregrino ſerico & lino non pauci ſuperbiant. Forma veſtimentorum, more Gallorum, ad Lunæ phaſes mutatur, modoqve fluida eſt, modo aſtricta, modo femineus cultus & laxis braccis, modo Barbaricus toga ad pedes demiſſa. Prudentiores Helveti, & Orientales omnes populi antiqvorum rituum obſervantes, avorum ſuorum & majorum habitum ſervant & lege tuentur, qvod etiam in ſapientiſſima Venetorum Republica factum memini. *Saxo* noſter refert l. 13. Hiſt. Dan. de Henrico, qvod cum Kanutus ad nuptialia ſacra Ripis agendi in veſte Saxonica cæteris cultior progrederetur, obfuſis invidia oculis ali-

er-

eni cultus ſplendorem ferre neqviens, orta inter ipſos altercatione, latus ejus adverſum gladios oſtro tutum fore negavit. Qvem Kanutus nullo magis ovillis ſecurum tergoribus reſpondit; laceſſitum veſtis ſuæ fulgorem urbano ruſticitatis opprobrio ſpecioſius qvam minis aut conviciis ultus. Scilicet eſt modus in rebus. Videntur autem majores noſtri luxum omnem tam in epulis qvam veſtibus ex Saxonia advocaſſe, ſicut nos ex Gallia, ſeqvimurq; & hodie præcedentium gregem. Gloriabatur olim Starcatherus apud *Saxonem* l. 6. de aſpera veſte cultuq; parabili, non ut poſtea alius, qvi

—— veſtis operoſæ tegmine cultus
Molliter alipedem flectit, ſparſamq; renodat
Cæſariem, & laxos patitur fluitare capillos.

Ad medicinam ipſam ſi progrediamur, non paucos errores vulgi deprehendemus, animadverſione dignos.

Qvanqvam enim naturæ favor abunde ſuppeditaverit ex inqvilinis remediis qvæ morbis noſtris opponi poſſint; fruſtra tamen felicem eventum ſperabimus, niſi legitima methodo, tempore opportuno exhibeantur. Nihil eo effato certius. Neq; tamen Medicos teſtes adhibebo, numero ſexcentos. Prorſus ad rem aliud agens *Lipſius* lib. 2. de Conſtant. c. 13: magna momenta temporum ſunt, & ſaluberrima ſæpe medicina abiit in perniciem, data non opportunè. Hanc methodum negligunt vel ſpernunt ex vulgo plerique, ſuis remediis domeſticis contenti vel confiſi, Medicorum ſana præcepta poſtponunt, neſcii medicamenta ſalutaria fore ſi à perito artifice tractentur, noxia ſi ab imperito, qvemadmodum ædes ſecurius ex eadem materie à fabro, artis perito, ſtruuntur, qvam à Sutore. Igitur qvanqvam materiam Medicam domi natam habeamus, eamq; uſibus noſtris ſufficientem, cujus

peri-

peritia qvoq; penes vulgus noſtrum ſit ſive traditione majorum, ſive Medicorum familiaritate, ſive uſu docente; indicationes tamen & cætera huc ſpectantia à Medicis haurire debent, qvibus ea cura incumbit. Itur autem hic à vulgo in diverſum, non enim methodum medendi tantum negligunt, qvia ignorant, ſed, qvod pejus, à peritis inventa apud imperitos traducunt, qvod conqverebatur etiam ſuo ſeculo *Hippocrates* lib. de Arte. Neglectum ſalutaris methodi cum Medicorum contemptu jungunt. Non memini viliori loco uſpiam reputari Medicos veros, nec ſcio ubi locorum in Europa, circumforanei magis æſtimentur. Hos titulo Doctorum dignantur, catervatim in foro, in theatro, in ædibus conveniunt, precantur, lauto præmio remittunt & plenos laudis. At Medicum doctrina, uſu & moribus probatum vix ſalutare volunt, eſurire ſinunt, convitiis inſectantur, & ſi qvando ne-

ceſſitas extrema & dolorum vehemen-
tia ad Doctorum manus compellat,
multis erroribus errores cumulant.
Neq; enim dicto Medicorum ſunt obe-
dientes, nec ex methodo curationem
admittunt, qvia niſi conclamata ſi
omnia rarò Medici advocantur, in ca-
ſum remediis vulgi tentatis; ſed cor-
dialia mera clamant. Præterea poſſ
habito Medici conſilio, omnium mu-
liercularum qvæ officii gratia conſ-
bulatum veniunt, remedia cumulant.
Plebeja hæc ſapiens Medicus non ſpe-
nit, qvia plerumq; ex libris vel ſchedu-
lis Medicorum profluxerunt, ſed mo-
bi tempora accuratè circumſpici
cauſasq; & Indicationes, ut debitè ſu
officio ſecundum artem & conſcien-
tiam defungatur. Levius peccant, qv
Medico præſente, bono animo, rem-
dia proponunt, Medici arbitrio reli-
qventes. Qvanqvam artis ſuæ gnar
ſciat ipſe qvid ægro conducat, conn-
vendum tamen interdum, ne plus a
thor

thoritati ſuæ Medicus videatur conſulere, qvam ægri ſaluti. In morbo deſperato ne qvicqvam omiſiſſe videatur, nonnunqvam, ſi ſine artis & valetudinis fiat detrimento, vulgaria remedia concedit, etiam conſilio *Celſi*, cujus aureum eſt dictum l. 3. cap. 1. oportere ubi aliqvid non reſpondet, non tanti putare autorem, qvanti ægrum, & experiri aliud atq; aliud. In aliis qvoq; conſentiente *Hippocrate* l. 6. Epid. ſ. 4. §. 7. gratificari oportet, ægris qvæ non magnam noxam afferunt. Sed peſſimè & ægrorum incolumitati & famæ Medicorum conſulunt medicaſtræ, qvæ inſcio Medico curante, remedia clam ſuggerunt, ſicq; nocte deſtruunt, qvod de die Medicus ædificavit. Qvod ſi fortuna, natura juvante & præcedentium medicamentorum à Medico ex lege artis præſcriptorum ope, furtivum remedium felici ſucceſſu commendaverit, omnis ſanitatis reſtitutæ laus ad mulierculas defertur: Medico verò, etiam

etiam omnibus ex voto confectis, vi
verbis gratiæ aguntur. Non damn
Medicas, ſi intra terminos ſe contin
ant. Eas qvippe novit & antiqvita
Urbini hæc extat Inſcriptio:

D. M.
JULIÆ. Q. L. SABINÆ
MEDICÆ
Q. JULIUS. ATIMETUS.
CONJUGI
BENE. MERENTI.

Eas obſtetrices fuiſſe, qvæ procur
bant mulierem in partu & medicin
dabant, eruditè ex *Accurſio*, *Cujace*
Polluce explicat *Rhodius* noſter ad Scr
bonium. Et adhuc obſtetrices noſtr
medicarum rerum ſcientiam ſibi ve
dicant, qvod non improbandum, qv
libentius harum manus & conſilia a
mittunt feminæ parturientes, qva
Medicorum. In aliis tamen Inſcripti
nibus non Medicæ, ſed Obſtetrices v
cantur. Exempla *Gruterus* ſubmin
ſtrat. Fuerunt enim præter Obſtet

cec

ces, etiam aliæ Medicæ. *Galenus* teſtatur ab opulentiſſimis Matronis Romanis unguenta fuiſſe compoſita. Apud Danos olim Othinus muliebri cultu artem medicam profitebatur, indeq; occaſionem arripiens, cum Regis filia ægrotaret, prius ad exercendæ libidinis qvam pellendæ febris negotium procurrit, annotante *Saxone* l. 3. In Hiſtoria Norwegica *Snorronis Sturlæi* dicitur Tormodus qvidam Scaldrus in exercitu Regis Olai Sancti à ruſticis Norwegis, qvi pro Rege Canuto dimicabant, ſagitta per ſiniſtrum latus trajectus, ad mulierem confugiſſe qvæ vulneratos curabat. Qvumq; profundius ſagitta infixa eſſet, illa vulnus cultro ampliavit, donec conſpectam ſagittam forcipe dato evelleret ipſe. Additur ibidem cum ferro extracto ſeqvutas radices cordis, qvarum qvædam candicabant, qvibus viſis anteqvam expiraret Poëta dixiſſe fertur; Rex benè nos hac hyeme ſaginavit, qvia circa cordis mei

radi-

radices adipe obſitus ſum. Niſi fallor
vaſa cordis majora fuere, qvæ adipe
conſperſa ſunt, qvæq; candicant & ar-
terias colore referunt. Itaq; novum
non eſt, mulieres, aliis medicis defici-
entibus, medicam artem exercuiſſe;
ſed ferri non deberet, in urbe Medico-
rum illuſtrium gloria florente, Medi-
cas empiriam in aliis affectibus profi-
teri ad gynecæa non ſpectantibus.
Hafniæ tamen nihil freqventius, inter
nobiles ignobilesq;. Novi & in Pro-
vinciis conſimiles, qvibus benè præ-
cantur multi, qvi aliis Medicis deſti-
tuti, eò tanqvam ad ſacram anchoram
confugiunt. Rectius facerent in urbe
Matronæ, Medicinam exercentes,
ſecretum ſuum Medicis ſub juramento
aperirent, qvibus ſaluti mortalium
excubare datum eſt. Re enim penitius
inſpecta, vulgaria ſunt & trivialia Me-
dicis, qvæ pro ſecretis illæ venditant,
& qvæ ſubinde pleraq; vero ſuperſunt.
Totiens gloriantur morbos à ſe pro-

fli-

fligatos, qvotiens remedium communicant. Certa tamen experientia ſcio, iſta plenis buccis decantata arcana ſpem promiſſam fefelliſſe, & vana ſpecie ægros deluſos. Chirurgi & Pharmacopœi ex Receptariis ſuis diſcnt remedia qvæ clanculum ægris ſubmittunt. Ne longior ſim. Ut Medicorum opera vileſcat, hæreditaria remedia in familiis multi ſervant, qvæ majores à Medicis ſuperioris ſeculi acceperunt: eoq; proceſſit inter noſtros medicina, ut perpaucas Matronas invenias, qvæ libro Receptario careant, ex qvo pro rerum indigentia depromunt remedia, ne ad Medicos ſalutis ſuæ negotia devolvant. Ita paulatim tacito pede ad priſca Danorum ſecula revolvimur, qvando Medici nulli erant, ſed ſibi qvisq; medicinam faciebat. Profunda ſupra nos altitudo temporis iterum veniet: pauci Medici caput exerent, & in idem qvandoq; ſilentium abituri. Ducentis annis vix ſupra centum Me-

dici

dici probati in Dania vixerunt, an
qvos Medicos ignorabat patria, adeo
ut Waldemarus Rex ex Scania Abba
tem qvendam Johannem medicin
præſumptuoſiorem qvam peritiorem
accerſiverit, autore *Saxone* l. 15. qvi ali
bi l. 11. meminit Medici, neſcio cuju
nominis aut virtutis, certè indocti
qvi pelvi excepiſſe dicitur partes rup
jocinoris, qvas Arnfaſtus fruſtati
egeſtas vomitu protulerat. Qvis eni
Anatomes peritus credat hepar vom
tu fruſtatim poſſe excerni diaphra
mate illæſo, ſine qvo vix momentu
ſupereſſe potuit. Niſi per duodenu
partes putridæ perruperint, qvema
modum ex folliculo bilis: vel cer
ventriculus hepati vicinus ruptus fu
rit. Potionem per incuriam ſumpſi
Arnfaſtus dicitur, ut impotentiu
nervorum hebetudini mederetur, i
deq; langvorem contraxiſſe. Qva
potio, & qvalis Medicus ignoratu
Certè ſi jecur per partes fuiſſet r
jectur

jectum, neutiqvam Arnfaſtus langvorem, deficiente hepate, ad trimeſtre ſpatium protraxiſſet. Niſi fallor, poſt tot annorum lapſus, cauſam & ſymptoma rectius divinabo. Arnfaſtus Scholæ miniſterio Roëskildiæ functus cum Hermanno Sacrarii præſide Wilhelmi Epiſcopi tumulum aperuit, diutiſſimè ante clauſum. Mortuus enim fuerat Wilhelmus cum Svenonis Regis funus in urbem comitaretur Anno C. 1074. ex computo *Huitfeldii*. At temporibus demum *Saxonis* Grammatici apertus fuit tumulus, Abſolone Pontifice maximo vivente, qvi Arnfaſtum inviſerat & jecoris partes in pelvi viderat, qvorum uterq; demum Anno C. 1201. mortalitatem explevit. Solent verò tot annorum mora clauſi tumuli noxio halitu noxii eſſe adſtantibus ſi aperiantur, cujus in Hiſtoriis Rarioribus exempla retuli. In primis putridus vapor, diu in tumulo concluſus, reſpiratione attractus pulmonibus pu-

tredinem communicat, qvi phthiſi ta[illegible]
biq; occaſionem dat, in qvibus affect[illegible]
bus ſæpe, qvando putredine pulmo in[illegible]
fectus eſt, per partes pulmo expuitu[illegible]
Itaq; Arnfaſtus potione illa ad vom[illegible]
tum concitatus, pulmonis putridi pa[illegible]
ticulas una expuit, non jecinorii[illegible]
Confirmat ſuſpicionem meam dupli[illegible]
argumento *Saxo* laudato loco, qvipp[illegible]
Iſaac ruralis ſacerdotii Præpoſitus, qv[illegible]
connivente, & ſine dubio etiam præ[illegible]
ſente, tumulus violatus fuerat, diutin[illegible]
vitiati pulmonis languore conſumpt[illegible]
interiit, & reliqvos, Hermannum nem[illegible]
pe & Arnfaſtum ad ultimam tabe[illegible]
redactos peſtis abſumpſit. Herman[illegible]
etiam morbus à pulmone fuit, qv[illegible]
vocis officio ſpoliatus, elingvis ac m[illegible]
tus deceſſit, ut halitum ex tumulo p[illegible]
tridum omnibus tribus exitialem f[illegible]
iſſe conſtet & pulmonibus noxium[illegible]
Illius halitus tantam pertinaciam ib[illegible]
dem *Saxo* refert, ut ipſum triduo b[illegible]
neis ac lavacris attentatum ex mar[illegible]

b[illegible]

bus abolere neqviverint. Qvid damni inde pulmonibus acceſiſſe credimus? Ex tumulo qvidem magnam fragrantiæ vim ad circumſtantium nares velut è beato qvodam unguentorum fonte manaſſe ſcribit Grammaticus, verè an ut piaculi magnitudinem extolleret, non dixerim. Similia de cadavere Olai Regis Norwegiæ ſancti, narrat *Snorro Sturlejus*, & plura exempla alibi conſignavi grati ſvavisq; odoris ex cadaveribus emanantis. Credamus ita factum, ſicut *αὐτόπτης Saxo* refert, qvia imbecillior eſt fides in reliqvis qvæ ætatem illius præceſſerunt, certè majorem labem pulmonibus affricare potuit, qvam manibus, propter acria effluvia, qvibus illis adhæſit diutius, qvam his. Sed ſeculo illi condonandum, qvod Anatomes Medicinæq; erat imperitum, propter Medicorum defectum. Abbas Johannes, de qvo aliqva dicere cœpimus, malè apud *Saxonem* audit, qvod morbo parum pru-

 denter

denter inſpecto, ſoſpitatem Regi Waldemaro febricitanti conſtantius qvam verius promiſerit. Sed qvanqvam Medicus peritus non fuerit, nihil tamen commiſit, qvare documento eſſet, qvam parum fidei in medicorum opere reponi oporteat. Soſpitatem Regi vivere cupienti promiſit, ut animum adderet, & ad remedia conſtantiam inſpiraret. Nec aliter prudens debuit. Qvippe morborum acutorum incertæ ſunt prædictiones ex *Hippocrate*. Cibo medicinali arte confecto refecit, & qvietem imperavit. Nihil hic peccatum. Qvod deniqve accuratius operiri præceperit ſudore artuatim ſuffuſum, bono animo factum, ut naturæ conatum promoveret. Sed qvod ſudoris hujus, qvi deficientis naturæ erat ſignum, ignarus eſſet, in arte Medica imperitiam prodidit. Nec enim diem criticum obſervavit, nec ſudoris frigidi periculum, qvi in morbis acutis mortem ſignificat, 4. Aph. 36. 37.

Non

Non deniq; didicerat ex *Hipp.* Prænot. bonos eſſe ſudores in acutis, qvicunq; toto corpore oriuntur, faciuntq; ut æger morbum facilius ferat. Hic verò Rex tantum abeſt febrem imminutam ſentiret, ut ſine voce eſſe cœperit anteqvam fatalis ſudor invaderet. Pro Abbate tamen, medicæ ſcientiæ fautore & aulico, reſponderi poſſet ex *Hippocrate* eodem Coac. Prænot. 256. Vocis defectiones cum virium exolutione in acuta febre cum ſudore minus lethales eſſe, at temporis diuturnitatem ſignificari. Qvicqvid horum ſit, Medicorum bonorum inopia olim laboravit Septentrio, & forſan poſthac laborabit. Rationem penuriæ addit *Olaus Magnus* l. 16. c. 50. propter indiſciplinatum regimen curandorũ, & qvod aromata, ſeu medicæ res longo terrarum, mariumq; circuitu, anteqvam in remotas illas regiones perferantur, naturalem efficaciam & vigorem vel perdant, vel lucri cauſa à portitoribus

falſificatæ corrumpantur. Priori rationi ſuperaddo inqvilinarum herbarum copiam, vitam ſimplicem, & ſparſas inter vulgus ſuperſtitiones, Magiæ vicinas. In altera deſidero patriæ fertilitatis pretium neglectum, qvaſi Medicus peregrinis medicamentis ſe debeat emancipare, nec ſit in vaſto Septentrionis tractu, qvod ægritudinibus incolarum à Medico prudente & experto adhiberi qveat. Non tam anguſtos limites ſibi Natura in ſpatioſo hoc mundi noſtri angulo fixit, qvin ſuperſit campus ſatis amplus in qvo ingenii & artis vires Medicus exerceat. Qvod de ſuperſtitione magica dixi, necdum inter mulierculas prorſus exolevit. Non enim ſemper herbis medentur, ſed ſæpius verbis, characteribus, menſurandi ceremoniis, qvibus nulla niſi ab imaginatione virtus ineſt. Prætereire non poſſum mercaturam variolarum, qvam nonnulli inter noſtros hodieq; exercent. Inter vulgus receptum

eſt,

eſt, ut qvot variolas qvis deſideret, totidem ab altero emat qvi variolis decumbit. De eventu teſtatur multorum experientia, ſed ego naturalem cauſam expiſcari non poſſum. Obſervatum tamen, vehementius ſolito iſtos decumbere qvi ſibi certum variolarum numerum pretio comparaverit, forſan natura ab iſto remedio occulto abhorrente, dum impeditur ſive à cauſa ſupra naturali, ſive fixa ægri emptoris imaginatione, qvo minus pro copia materiæ in corpore ebullientis expellat variolas, ſed ad certum minoremq; numerum occulta vi adſtringitur. Ego inter errores populares emptum hunc numerum numero, donec rationem ſapientiores attulerint.

In contrarium vitium incurrunt, qvi cæteris ſubtiliores, in exoletis & peregrinis majorem recuperandæ valetudinis fiduciam ponunt, qvam in propriis, & conſilium remedii ſimplicis domeſtici aſpernantur, Medicum

neutiqvam ſuo fungi munere exiſti
mantes, niſi pompoſam peregrinarum
herbarum, ſpirituum, extractorum
ſupellectilem in una charta conſpic
ant, Pharmacopœis potius ditandi
qvam morbis profligandis idoneam
Miſcella iſta medicina pompæ inſervii
non ſemper morbo. Hinc manav
ſpirituum Cephalicorum & Apoplecti
corum qvotidianus apud nos uſus. Vi
enim matronam alicujus notæ reper
as, qvæ ſive domi degat, ſive peregr
abeat, deſtituatur domeſtica officin
portatili, variis ſpiritibus referta pr
caſibus inſperatis, ubi ſubita refectio
ne opus. Qvam qvidem officinam
pro illis non improbaverim qvi inte
gra valetudine privi ægrum corpu
circumferunt: præſtaret tamen gent
les herbas, nobis convenientiores
qvam exotica pretioſa eligere, ex qv
bus eliciantur ſpiritus. Cavendum
præterea, ne nimius internorum uſi
accedat, cujus damni exemplum h

com

commodè recenſebo. Ancilla Rebeccæ Prals Hafniæ peregrinam ad ſe 4. Jun. 1662. venientem puellam hoſpitali poculo exceptura, ex aqva Cephalica Carolina, qvam hera forte prope feneſtram collocaverat, hauſtum propinat. Invitata potione hac generoſa qvam ſimplicem Vini Spiritum credebat, pitiſſando ex lagenâ libras duas abſumpſit, & ſeqventi mox die exſpiravit, non ſine malignitatis ſuſpicione, cujus tamen in cadavere per Chirurgos Urbis luſtrato nulla comparebant indicia, qvanqvam venter nonnihil intumuerit, & brachium dextrum cum dorſo conſpiceretur ex nigrore rubicundum, ſive ex caſu, ſive calidiſſimo potu ingurgitato. Sic nocuit empta dolore voluptas. Noſtræ igitur feminæ, qvia ſpiritus hujusmodi amant & in deliciis habent, vel naribus attrahendos, vel capiti carpove illinendos, ſedulò providere debent, ut lagenis probe clauſis diligenter cuſtodiant

diant ſpiritus hos familiares, ne curio
ſæ ancillarum domeſticarum pitiſſati
oni exponantur, utriusq; damno, atq
ita qvoq; capſula muniti ſpiritus ſubti
liores, exhalare non poſſunt.

Meretur commiſerationem cre
dula nonnullorum ſimplicitas, qv
cuivis remedio, ignoto etiam, fide
commodant, à non Medicis nec re
rum medicarum peritis communica
to. Damno ſuo id nuper Præfectus na
vis Regiæ expertus eſt, qvi ſvaſu amic
cujusdam ſui pro errhino euphorbi
um aqva maceratum naribus attraxi
Ex qvo intumuit caput, faucesq; in
flammatæ cum facie univerſa, inpri
mis ejus lateris qvo per nares ſiniſtra
pulverem ſuxerat. Hinc ſeqvuta ſtran
guria, cui per Emulſiones occurr
vocatus amicus noſter veteri neceſſi
tudine conjunctiſſimus D. *Paulus Mot*
Regius Medicus. At notari debet eu
phorbii effectus inſolitus, qvi cantha
ridibus ſimilis. Fluente enim loti

cu

um inſigni doloris ſenſu, dolor qvoq;
n maxillâ affecti lateris ſentiebatur,
e qvo conſenſu vel diſſenſu nihil
pud *Dioſcoridem* aut *Galenum* legiſſe
ne memini.

Inter patriæ errores eſt averſio à
lyſteribus. Inprimis feminæ nativa
erecundia hoc inſtrumenti genus re-
ormidant, ut mori nonnullæ malint
vam eas partes ſyringæ patere, qvas
ic nominare nolo. Aſſveſcunt tamen
nſim, poſtqvam mulieres conducti-
æ artem iſtam profiteri ceperunt,
vam Pharmacopœi apud nos, in Gal-
a Barbitonſores exercent. Laudan-
um eſt Gallicarum mulierum valetu-
nis vel pulchritudinis ſtudium, qvæ
er ancillas domeſticas hoc negotium
octas, qvotidie fere enemate uſuali
ferius guttur eluunt. Noſtris qvoq;
poſſet tandem perſvaderi, ſi tanta
ulchritudinis cura vigeret, qvibus
unqvam pene aliud natura, aliud ars
ommendat. Naturali qvippe pul-
chri-

chritudine acqvieſcunt. Expedire tamen ſanitatis cauſa, qvia hypochondriacæ multæ, & Scorbuticæ, enemata ex carminativis, qvorum commoda qvamplures explorarunt, qvibus ſi consilii dedi. Verecundiam ſublev... inſtrumenta obliqvâ fiſtulâ ornat... qvibus ipſis ſibi reclinato corpore ... ſervire poſſunt. Condonandum h... qvicqvid eſt ſexui ſeqviori, at venæ ſ... ctionis metus in pueris, ſummis err... ribus adſcribendus, qvo multi pu... per timorem pereunt, qvi ſervari p... ſent per naturam. Nullum huic ... veterato malo remedium inven... qvia, ut verum fatear, ipſe Medicin... profeſſus hic

— video meliora proboq;, ...
Deteriora ſeqvor.

Qvis enim incertorum eventu... culpam præſtare velit? Qvis vulgari ... vidiæ & vulgi obtrectationibus coll... non ſubtrahat? Nuper, cum 1665 ... riolis decumberent filii filiæqve, ...

P

ræ cæteris ſangvine florido rubenti, ubenter nonnihil ſangvinis ſubtraxisem prius qvam eruptio fieret; ſed inerti eventus metu retractus optimum onſilium intermiſi, qvod proficuum idebam. In mittendo enim ſangvie non tam annos Medicus numerat, vam vires ægrotantis æſtimat, *Celſo* ræeunte. Negligentiam tamen mem vel metum ſupplevit Natura optao ſucceſſu & felici variolarum eruptine. Qvippe qvotqvot ex meis decuuerunt, plerisq; delirantibus, eruptinem variolarum, hæmorrhogia naum præceſſit, qva ſublevata natura romptius expulit variolas numero lures, ſed nulla alia malignitate infeas. Anno, qvi hunc præceſſit, febres rtianæ longas apud ægros, inprimis ueros, moras nectebant. Rarum id multis ætate junioribus obſervavi, vod paroxysmi madore finiri ſoliti, narium hæmorrhagiam deſinerent, e qvod hanc ſolutionis viam intento di-

to digito monſtraret Natura, ſſ
qvod ſangvis ſero abundans ſudorib
præripuerit ἀπυρεξίαν. Junioribus
men ſangvinem detrahere auſus n
ſum, qvanqvam de generoſo hoc
medio dici poſſit, qvod alibi *Sen*
Tragicus Herc. Fur. Act. 1. ſc. 1.

Patefacta ab imis Manibus retro
eſt,
Et ſacra diræ Mortis in aperto
cent.

Igitur auribus lupum tenens,
vel vulgi judicio ad calceos attritos
ſarciendos damnarer, qvæ Philippi M
cedonis apud inferos fuit pœna, *Luc*
no jocante in Necyomantia, vel æg
auxilio deſtituerem, hæmorrhagi
ſiſtere nolui anteqvam ſatis pro æta
viriumq; ratione evacuatum eſſet ſ
gvinis, imò in filiolo meo coactus ſ
largam evacuationem conceder
qvia nullis adhibitis adſtringenti
coerceri potuit, ante libræ ferè me
ſtillicidium. In cæteris ſudore a

paroxyſmum provocato alexipharmacis, Cornu Cervi, Unicornu, oculis Cancri, nitro vitriolato &c. febrilem hoſtem per poros aſtu qvodam evocare conatus ſum, & ſimul ſerum in fluido ſangvine exſiccare, qvod in plurimis ſucceſſit, in aliis verò nihil profecit, qvibus, ut canit *Marcellus Palingenius* in Leone:

Vix putei, fontes, fluvii ſuccurrere
poſſunt.

Adultiores alii in venarum aperione nimis ſunt profuſi vel audaces, qvippe viſa faſcia rubente ante ædes Chirurgorum appenſa, ex Calendariorum ſignis dependentium, ſtatim ſine lia corporum præparatione in ſella officinæ conſidentes brachium ſine deectu pertundendum offerunt, & perfecta operatione vel itineri ſe committunt, aliisq; negotiis conficiendis, vel vini modium ebibunt, ut calorem miſſum reſtituant. Cumulati errores acri cenſura digni ſunt. Sed verba

per-

perdere nolo, qvia Æthiopem me l
vare ſcio. Monendum tamen dux
ſcorbutica noſtra corpora maxima in
digere præparatione anteqvam gem
roſo iſti remedio ſubjiciantur: Ni
ferre iſtum ſitum in officinis Chirur
gorum, aut domi ſuæ. Qvippe de
qvium animi ſæpe patiuntur, niſi m
qvieſcant. Hinc in arte Medica exc
citati uſus *Jo. Dominicus Sala* Prince
Patavii Medicus, meusq; in hac ar
per plures annos anteſignanus, nu
qvam paſſus eſt ut ægris illius cu
commiſſis, etiamſi ſani eſſent & v
lentes & noſtris puriores, extra lectu
vena aperiretur. Svaſi idem hacten
tam amicis meis, qvam Chirurgis, n
in poſterum deſinam ſalutare hoc co
ſilium ægris ſanisq; impartiri, qv
longo uſu profuiſſe didici, ſolent qv
pe, ut eleganter non Medicus *Symm*
chus l. 10. Epiſt. 1. monet, qvi medi
nam callent, cum jam forti uſu in m
giſterium provehuntur, ac fiunt ar

en

emeriti, proximis imperare, & ſeri- ata manu curationem juvare præ- ceptis. Qvanqvam verò non omni- bus commodum ſit ſeqvi meliora, tamen delicatiores peracta miſſione ſanguinis nonnihil ſe lecto reficiunt, obſervatumq; à curioſis Chirurgis, animo non deficere qui in dorſo ſu- pini decumbunt. Rationem, qvam ignorant, ex circulatione ſanguinis promptam dabo. Deficit anima, ab intercepto cordis motu vel retardato. Cor à ſolito vigore & motu reciproco deficit, qvando tantum ſanguinis per cavam non ſuppeditatur, qvantum arteriæ hauſerant. In miſſione autem ſanguinis, qvia ab arterijs fere venit, qvod effluit, venæ tardiores ſunt, nec ſatis celeriter & copioſè indigentiæ cordis ſubveniunt. In ſupino verò decubitu ab incumbentibus viſceri- bus cavæ truncus premitur, ut velo- cius exprimatur ſanguis ad cor aman- dus. Addo, ſitu iſto reclinatâ

venâ, facilius tardum ſanguinem ... ſuperiora fluere, qvam corpore er... ɛto. Vini vel generoſioris Cereviſ... modicum ad reſtaurandas vires n... damno, ſed largiorem potum qve... ſibi nonnulli indulgent. Alios negl... ɛtæ Chirurgiæ errores non recenſeb... quia pro erroribus non habentur ill... qvorum neglectus nihil nocuit. M... tas enim ægri in Italia & Gallia op... rationes admittunt, qvas noſtri ... ſpuunt, tanqvam crudeles, & ſi... quibus in Septentrione ſervari poſſu... Ita terebrationes rariſſimè apud ... tentantur, qvia ſine illis cranij con... ſiones ſanantur, & tot infelicia il... rum alibi vidi exempla, qvot felic... Ita qvoq; exulcerationes carpi per c... tharides in febribus malignis tanqv... dolore moleſtas & in ſcorbuticis æ... ſanabilibus periculoſas intermittim... parum qvippe ſæpe proficiunt, i... rumq; vicem ligaturæ arɛtæ ſupple... Antifebrilia carpo applicita noſ...

P.

probantur, ex tela aranearum, ſedo, ſinapi &c. qvorum vis per venas carpi ad cor pervadit. Credulum tamen vulgus venæ ſectionem non facilè admittit diebus canicularibus, nec purgantia, edoctum ex *Hippocrate* in Aphorismis, ante canem & ſub cane difficiles eſſe purgationes, unde hæc religio ad noſtros promanavit. Sed aliud eſt cœlum in Septentrione, aliud in Græcia. Sirij ardores tantos rarò experimur, qvi generoſa remedia urgenti neceſſitati ſubtrahant, ſæpeq; evenit ut ante canem & poſt canem, ferventius nobis ſit cœlum, medio ſub cane frigidius. Plures alios errores communes fovent cives noſtri, qvos non tango, ne in immenſum creſcat Diſſertatio. Paucorum rationem habui, ut animum cives meum videant, qvi magno ſemper dolore ex aliorum calamitatibus afficitur, qvod de Medico dixit *Hippocrates* Lib. de Flat. Qvi emendare vitia nolunt, vel

morti vel medicis reſervantur ante fata, ſi qvidem, ut ex Philemone *Stobæus* Serm. 100. κακῶς ἔχει ἅπας ἰατρὸς ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ. Reliqvis in ſolatium communium patriæ errorum *Stoici* dictum Epiſt. 101. ingemino:

Omnia, mihi credite, etiam felicibus dubia ſunt.

Th. Bartholini
De
Erroribus Danorum
circa Medicos,

DISSERTATIO DECIMA.

VOs alloqvor patriæ cives, qvi vel veneratione majorum vel poſteritatis cura incaluiſtis. Credere nolite incorruptam medendi artem inter vos ubiq; exerceri, qvamdiu ſuperbas ſpecioſasq; tabellas angulis hinc nde magnificæ urbis affixas cernitis & n foro theatra. Profectò vel ego fide im caſſa, vel turpiter ſe dant plurimi, gregiam ſcilicet credulis mortalibus pperam locaturi. Videte illibatos ſeniorum ſaniorumq; Medicorum canos, & erubeſcite, canos inqvam,

qvos glorioſo germine grandior æta
& collectus multorum annorum uſu
protruſit, ſed triſtia inſtantis apud vo
hyemis inhumanæ omina. Non ta
men, ne erretis, periturum ſenium
ſunt viſuri, qvi animo ſemper vegeti
in communis mortalitatis ſubſidium
communi vos juvandi ſtudio plu
qvam juvenili fervore ſemper arden
ſed hoc vultu ſui temporis tranſactæ
vitæ teſtantur innocentiam, & nive
brumæ facie ſuccedentium temporu
infelicitatem deflent. Alios circu
compita oberrantes, infeſtiore vult
qvam Cerberum Titan aſpicit, & eg
publico in patriam, in amicos, in li
teras amore ad invectivum calamu
excitor ægrorum cauſa, qvos ficta M
dicorum nomina, inanes Empiric
rum larvæ, & Circorum fabulæ no
raro deludunt. Nolo alios mortal
ium noſtrorum mores exponere, na
illi vel ægerrimè corriguntur, & r
medium non qværunt, qvia inſanab

les, vel ad me non devolvuntur, qvia immunes capræ dicuntur ab aratris: Sed vulgi artes, in juſtam Medicorum & Medicinæ veræ defenſionem, ant oculos ponam, medentiumq; nonnul orum technas, omni nube ſubducta, qva teguntur innoxiè animas ægro- um corpusq; licitaturi. Miſeret me anè veſtri, ô cives, qvia ſalutem ve- tram in publico ære duco, hinc ne lecipiamini, qvos opto complecti, er- orum prima depingam lineamenta, n qvibus jam ſponte peccari seriò pud me dolui. Non ſatis eſt ferrum ignem & vim omnem hoſtium in- repidè hactenus ſuſtinuiſſe. Troja m vetus malum. Nec ſatis arbitra- nini inclementi patrii cœli ſidere tor- eſcere, invitamq; frigidioris ſoli gle- um premere. Parum eſt operoſam orporis molem trahere, commeſſa- onum famâ malè apud alios audien- m. En de vita veſtra occultis medi- ſtrorum conſiliis tranſigitur, qvaſi

perituro non laboraremus fato, q
dum blandiuntur cauda, morſum ii
tentant, in certiſſimam nimiæ ſimp
citatis pœnam. Hunc hoſtem dom
publica pace per Dei gratiam & Aug
ſti Regis prudentiam procurata, int
viſcera veſtra alitis, datâ occaſio
turbas excitaturum. Tœdium Mec
corum vos conficit? Agite cives,
hac parte beatos vos creditis, bre
hac cura exſolvent Superi. Fuit ſec
lum, qvo Medicis caruiſtis, & an
qvovis præmio verum medicinæ uſu
qvæſiviſtis; certè prævideo futuru
brevi ſeculum, qvod ignorabit Me
cos, & fruſtra apud incolas qvær
Damnum æſtimare jam neſcitis, qv
necdum fame bonorum doctorum
Virorum laboratis, ſera tamen pœ
tentia artes, qvæ jam vigent, aliqvan
emendabit. Interim dum neceſſar
artis nauſea ſtomachum evertit, vos
ſecurè circumcurſitantium Empiric
rum pulpamentis demulcemini, util
ſimi

ſimæ cætera plantæ, pertæſæ malè carpentium manuum, nativum ſpiritum inficiunt, in qvibus tamen, qvod alios ſanaret, inventum eſt, vos neutiqvam, qvia ſanari non vultis. Illis enim creditis, apud qvos ſæviſſimæ conditionis fides facilitatem potuit impetrare tentandi, qvi nullis amicorum timent, qvia nullos, niſi utilitate, ſeparant. Spem amplam vobis ſpondent, ut illudant ſecurius, graviterq; plurima promittunt, qvæ poſt eos nemo velit ſanus experiri, niſi optet inſanire. Cauſas ignorant, ſedes affectas, medendi rationem optimam, ſolam impudentiam imperitiæ prætendentes, qvam in hujus farinæ Medico laudatis, parum qvidem docto, ſed ſatis ad occidendum officioſo. Cum Dîs tamen arrogantia certant, cum ſuperis dimicant, tot neces procurando, qvot illi vitas, & plus qvam humanum de ſe credi volunt, qvi nec homines ſunt qvia imperitæ artis ſplendore homines ode-

runt, nec facilè apud Orcum locum invenient, ne, qvicqvid apud inferos vivit, illorum qvoq; violentiâ cadat. His ſanè terribilius obverti Cerberus nihil poſſet, ut mirer qvod ad concutiendam terrore Panico inferorum regiam non deſtinentur à terrarum dominis, ita & plura apud nos supereſſent melioris frugis capita, & peſſimis artibus hominumq; corruptoribus prorſus careremus. Qvod ſi mitius cum illis agendum eſſet, digni forent, qvi in amplisſimo theatro, ut Pſeudomantes, à ſimiis ſpectari, aut à vulpibus cognati generis diſcerpi poſſent: imò ex Herculis judicio, præcipites è cœlo, è terra, & qva ſe pontus diffundit, dandi eſſent, ut ne ipſe Pœon, qvem ignorant, effracto cerebro ſanaverit, ſicq; unius alteriusve interitum multorum bonorum ſalus compenſaret. Verum ut ſimiæ videantur Medicorum, habitu qvoq; nobis conſveto Pharmaceuticas officinas inviſunt, ſuccincti ſunt

bullam

bullam oſtendunt, & Doctorum titulum imponi ſibi à vulgo tacitè patiuntur. Imponunt cataplasmata, perfundunt, coqvunt, venam incidunt, tentantq;. Matulam ſubinde luſtrant curioſius, & velut per nubem imminentes in corpore Eclipſes, pluvias, nives, fulmina, tonitrua divinant, utinam in illorum caput reciſura. Ferunt Crateri redivivi de temporibus ægri leges; judicia, ſententias; ſed melius de præſentibus judicant, qvam de futuris, nummosq; numerare rectius callent, qvam morborum dies. Pharmaca parant, fingunt Cytmides, & pocula miſcent, qvaſi noſſent, qvo pacto Thonis ſalubria multa, multa noxia ſecum compoſuerit, ſed in aliorum perniciem, qvia nullis exhibent, niſi aureo poculo recepto. Poſt ſeptimum judicant, ut certiora ſint vaticinia, & ne fraudi illis ſit impoſtura, domi omnia confecta ad auream libram expendunt, mox confidenter mortis dant arrham

& ar-

& arcana moriendi præcepta, &, u
verbo dicam, qvotiens ægrum acce-
dunt, totiens innoxiè peccant, ſi qvi-
dem ex Julia lege repetundarum acti
non inſtituitur, nec lege Cornelia
ſicariis tenentur. Vitam enim red-
dere neqveunt, qvam non habent, nisi
alienam, neq; ignominia notantur, qui
omnem verecundiam exuerunt. Unde
cum ſui ſint arbitrii, cortinam erigunt,
gunt, ſpemq; metu miſcent callidi
Delphorum inſtituto, qvi olim ea di-
tati tyrannide. Hinc Deli prodeunt
novi, Clari & Branchodes, qvibus he-
chatombas immolāt clientes aureosq;
lateres dedicant, dum veri Medici eſu-
riunt, aliisq; cordatè inſerviendo con-
ſumuntur. Sic rediit Prodici Jatra-
liptices autoris ſeculum, reunctoribus
qvoq; Medicorum ac mediaſtinis vecti-
gal invenientis, cujus placita noſtri il-
Chryſippi ingenti garrulitate firmatu-
ri, Charmidis exemplo certo ægro
pretio conducunt. Scilicet genus hu-
manum

manum multitudine ſua jam laborare videtur, unde reſecandum exiſtimant agyrtæ, ut ſuccreſcat nova lucri materies. Tanta qvippe eſt inter eos ditemq; conſpiratio. Diti animas ſubminiſtrant, ut aureos recipiant. Corporum paciſcuntur morbos, ut morbum ſuum curent, qvi animos langvidos ſitientesq; obſedit. Sed dictu mirum, dum decreſcunt illi, hic ſumit incrementum, adeò miſera illorum conditio, qvi medicinam aliis, ſibi exinde venenum propinant æterno pudore expiandum. Contraria in re ſimili cum Phidone illis morum via, qvi ſuſpendio ſeipſum mulctaturus, propter ſex chalcos non mortuus eſt, tanti qvippe veniebat funis, ſed ægrè ſumptus ferens aliam vilioris precij qværebat mortem: at hi ſe & ſuæ creditos curæ precio majori licitantur. In lacrymas & commiſerationem nonnunqvam ſolvuntur, non ut ille idem, qvia minis qvinq; ſepulchralem urnam emerat, ſed qvod plures

plures ad merces non veniant. Et ut
ſuæ avaritiæ ad plenam ſatietatem in-
dulgeant, non ſeipſos tantum, ut olim
Hermocrates, ſed omnes fati violenti-
am experturos rerum in teſtamenti
ſibi ſcribunt hæredes. Debent id, ne
neſciatis, caſſo virtutibus veterum
inſtitutis animo, qvorum ſanctiſſimi
decreta ſi vel per nebulam nebulon
perſpexiſſent, ſcirent, ſi per ignoran-
tiæ faſcinum ſcire poſſent, plus in Me-
dico recti veriq; valere conſcientiam
mortalium ſalutem, DEI favorem
qvam nefandam proprij commodi li-
bidinem. De Æſculapio, Medicorum
parente, graviter omnino & verè Di-
vinus *Plato:* Si DEI filius fuit, lucri
turpis avidum fuiſſe negabimus.
Placeat igitur, *Auſonio* præeunte, in-
emptæ artis opem cunctis poſcentibus
offerre, ſitq; cum pietate officium
meliorum. Pauciſſimi Coſmæ cando-
rem ſeqvuntur, cum Damiano fratre
eodem claudi tumulo recuſantis, q
à m

à matrona Palladia precibus etiam coactus munuſculi aliqvid, feliciter propulſato qvanqvam morbo, accepiſſet. Generoſæ profecto mentis rariſſimum documentum, mercedem laborum ſpernentis, qvi propter DEUM ejusq; creaturam fuerant ſuſcepti. Plus illi jure debetur, qvi vitam ſanitatemq; mortalibus poſtliminiò reddit, qvia DEUM imitatur Medicus, apud qvem nulla mercede paciſcimur. Ex Medico amicus, homines non præmio artis, qvam non vendit, obligat, ſed benigna & familiari voluntate. Tales videndi tanqvam Imperatores, qvi ita ſalutantur à togatis, ut ave dicto diſcedant. Valeant qvi libertatem lucri cauſa ſub haſta mittunt, & Alpheni ex Ictis reſponſum ſibi habeat Medicus, qvi multò plures imperantes ſe habiturum ſperabat, ſi Liberti illius medicinam non facerent. Enimverò inæſtimabilis res eſt ſanitas, vita, valetudo, qvæ nulla mercede poſſunt penſari.

ſari. Vileſcit virtus ſi pretio emitur: & ad metalla damnandi, qvi humanis viribus ſuperiora, metallis expendunt. Verum pretium ſit gloria, & conductio mercis, autoramentum ſervitutis. Polygnotus Athenienſis pictor, qvum in porticu Stoico depingendo omnes ingenij nervos contuliſſet, qvia pa nullum credebat artis ſuæ precium gratuitam illuſtri urbi operam conſecravit. Ejus exemplum ſeqvutus qvoq Fabius, ædem ſalutis, non lucri ſed perpetuæ gloriæ cauſa fertur pinxiſſe. Qvemadmodum verò infra Medici veri dignitatem reputamus, cum ægris de ægritudine certo precio paciſci, ita ſordidi & ingrati hominis eſt, nava tam ſibi à Medico operam nullo grat animi indicio demereri. Transgredi mini, ô cives mei, non raro iſtos ho neſtatis terminos. Ignoſcite qvæſ qvod ulcus hoc tangam. Liberali ma nu Empiricorum impudentia poſtula ta remuneratis, ſed Medicorum veſtro

rum merita injurijs potius compenſatis, qvam beneficijs, modeſtiamq; illorum oblivioni veſtræ vel perverſo animo prætenditis. Prævideo hinc medicinæ Medicorumq; apud vos imminentia fata, ſine magna veſtra exiſtimatione. Niſi enim vates fallax ſum, deſerti brevi à Medicis, Empiricorum libidini & avaritiæ exponendi eſtis, qvi depoſito omni pudore, ut creſcant loculi, per oſtia ſe clariſſimo meridie ingerunt nunqvam à vobis vocati, anxieq; ægros veſtros, velut aqvila cadaver, per emptos amicos, mulierculas conductas, pharmacopœos, tonſores, ocularios, plures venantur, anheli ipſi qværunt captantq; ut etiam muſcam, effracto crure, dorant ſibi elabi. Tot iſti nominibus peccant gloriæ contemptu, qvam ſibi non proponunt, qvi eam nunqvam conſeqvuntur, Vosq; ſtultitiæ veſtræ præmium fertis, & Medici de neglectæ artis vindicta in ſinu gaudebunt. Vi-

leſcit qvippe ars nolentibus obtruſa
nec ſatis artifici ſua ratio conſtat,
ſerviat invitis. Nullum Numen ni
vocatum adeſt, neq; extra Æſculap
fanum ſine ſomnijs vires reconciliata
Peccatis etiam graviter & vobiſcum
agyrtæ, lucifugæ medicaſtri, qvod un
inexperto ſanitatis veſtræ concedatu
arbitrium. Tam ſibi ſuæq; integrita
diffidunt, ut neminem pro actorum
ſuorum teſte audeant advocare, & in
fra jactatæ experientiæ fiduciam pu
tant, cum alijs melioribusq; inſtitu
conferre rationem. Anxias ment
decepit *Damaſceni* illud: qvi plur
conſulit, incidit in errores ſingulorum
& ne Cæſaris proſcriptionem videa
tur ſpreviſſe, nolunt qvemqvam M
dicorum turba perire. Sed fatet
vel errorem vel ignorantiam, qvi cu
Doctioribus congredi erubeſcit, n
diſſimulata fraus pateat. Loqver
dicebat *Socrates*, ut Te videam. Om
malum aut timore aut pudore natu

pe

perſudit. Qvicumq; lóngas oris inducias fingit, publica ob iniqvum ſilentium voce mulctabitur. Omnium intereſt illa ſcire qvæ ſuſtinenda ſunt, ut & hi & illi magis credant qvæ ad ſalutem ſpectant, ſi intelligant. Olim de exilio non niſi de XL. electis qvinq; Viris dabatur tabella. Nunc de vitæ exilio, unius ſtamus ſententia. Diſſerentium inter ſe Doctorum Medicorum concertationibus id efficimus,

Ut qvod tu neſcis, fortasſis norit Ofellus.

Nam plura videt, qvi cum pluribus de rerum ſtatu judicat, & univerſis æqviorem curationis curſum facient conſilia participata, ut diviſo communicatove inter plures opere, vel laudis plus, ſi ex communi voluntate bene res geratur, vel minus invidiæ, ſi conſilij dexteritatem ſperatus ſucceſſus fefellerit, bona inqvam malaq; æqvis inter ſe partibus partiantur. Hos ſocios *Pergamenus* & acclamavit & arte

ſua confiſus in laborum curæq; partem
haud raro admiſit. Similes de Steſia
no ſermonum collationes ab eodem
habitas, ægrorumq; ut vocabant, con
ſiderationes, nemo ſubterfugit, niſi ni
mio arrogantiæ ſpiritu turgens, aut ſib
diffidens, aut qvi plura ægris verb
promittit, qvam re præſtare qveat
Et hos & illos manes patiuntur, qv
credi volunt, nobisq; perſvadere, ſe
cum & natam & perituram Medici
nam, qvumq; modeſtiſſimè de ſe lo
qvuntur, cum Hippocrate vel Paracel
ſo ſe comparant, qvorum ne qvidem
umbram lambere ſunt digni. Cum ſi
licernio in comparationem venire
poſſunt, ubi ad pompam omnia gu
lamq;, triſtia tamen apud eos aguntur
mortualia. Nec cupreſſis diſſimiles
qvi, qvod de Levithene olim Phocion
pronunciavit, magni qvidem ſunt, ſed
fructus nullos ferunt. Supplicia vota
ad ſuperos mittam, ut reviviſcat Phi
lippus ſacris olim Orphei initiatus.

ſec

ſed prorſus mendicus, qvia in mendicorum potius qvam Medicorum Collegium hanc hominum nationem adoptarem. Jactabat ille magna ſui confidentia, omnes apud ſe initiatos poſt vitæ finem fore felices. Qvod pro virili præſtāt noſtri Empirici, apud qvos nemo unqvam felicior qvam cum officioſam hanc crudelitatem per mortes effugerit. Me ſi audire vultis, ô cives; ſi valetudinem in ſolido locaturi eſtis, ſi ſeræ ſenectutis amatis annos, illis abſtinete qvi ſalutem veſtram habent venalem, mortem in reditu, longiorem ætatem in pœnis. Fidem apud vos mereatur Pauſanias, qvi, dicente Medico qvodam inſulſo, nihil mali habes, Te, inqvit, Medico non utor. Mirari ſanè ſubit, qvod apud patriæ incolas, antiqvorum & invictorum hominum Nepotes, revolutis ad nos ſeculis, tantus jam obrepſerit torpor, tanta credendi facilitas, ut ſplendidi illim fortium Heroum victores, jam imbel-

imbellium agyrtarum ſint ſpolia. Mu
rum Aboni non pauci inter eos reſtau
rarunt, ubi ſuperſtitioſi pleriq; habi
tabant. Qvia perierunt vitæ argu
menta, cuicunq; Medicum ſe profitem
ti, ſtatim creditur, & ſimulac bulla vi
ciniam aliqvam peregrina ingreſſa ſi
mox urbem totam, & Provinciam
continuo ſuſurro pervadit ad novi Æ
ſculapij natales excitatam. Adeó cra
ſo muco nares implerunt multi, ut ſul
olfacere neqveant, an pane illi alic
rum more victitent. Decuriæ Cenſ
ris Principum examinantur, & oli
per partes inqviſitio agebatur. Noſtr
nihil horum in mentem venire ſeri
doleo. Sit miles, ſit ſutor, ſit pædag
gus, ſit inſtitor, ſit deniq; hiſtri
Cymbala pulſans aut cribro vatic
nans, omnes ad veſtrum commodu
Deorum munere miſſos crediti
Adeó blanda eſt ſperandi pro ſe cui
dulcedo. Tantus etiam crevit nom
nis amor, ut titulo, qvanqvam emer

dicat

dicato, major qvam veræ virtuti & eruditioni ſit veneratio. Neſcitis, vos dolium Danaidum volvere, nec terret ſutoris parœmia, qvi meliore voto fortunam mutaturus, falſo nomine venditabat antidotum, verboſisq; ſtrophis ſibi famam adqviſiverat. Si memoriæ veſtræ ſe ſubduxit, qvia fabuloſo ævo dicitur vixiſſe, actæ rei ſeriem enarrabo, ſed hac lege,[f] ut penes *Phœdrum* Libertum ſit fides, penes vos verò morum mutatio. Miſer ille ſutor detrita ſubula, languensq; crebris dubio procul per fora, per compita, per oſtia circuitionibus & falſæ antidoti ſarcinâ jam feſſus, morbo ipſe corripitur, qvem plurimis induxerat. Benè mehercules factum, mi homo, ne te remedij ope ſubduceres, qvo tot innocentes animas eluſeras. Nobis ea propter ludibrium debebis, poſteriſq;. Enim verò omnis oſtentatio non caret mendacij ſuſpicione, nam qvicqvid aſſumitur, proprium non exiſti-

matur. Nudus igitur efferetur jam Sutor, ut turpiter ſe in conſpectu v ſtro det, nec medica amplius toga ſed bubulo corio conſpicietur amictu Qvum enim ſummus civitatis, qva in Utopia fingimus, qvamq; deluſ rat, dominus, morbi accepto nunti experiundi gratia, fuſa in ſcypho aqw ſimularet antidoto ejus miſceri tox cum, poſito præmio, cui vix invitu ſpiritum trahens inhiabat, hoc magn medicinæ autorem juſſit ebibere. Ill veró, qvum fucum ſibi fieri neſcire timore mortis, fateri coactus eſt, n ulla artis prudentia ſe Medicum incl ruiſſe, ſed vulgi opinione & admir tione. Heu miſerum clari ſutoris ſt tum, tum demum ad veritatis con pulſi confeſſionem, qvando de pr prio corio ludi cernebat. Rex aute ſubditorum proſpiciens ſaluti, qvan putatis, inqvit, eſſe dementiæ, qv capita veſtra non dubitaveritis il credere, cui calceandos nemo comm

ſerr

ſerit pedes. Diſcite cives, ſi ſapitis, ſutoribus malé doctis nuntium remittere, & errorem facilis credulitatis exuite. Falſum calculum ſubducitis, ſi Medicos advocetis, artem habitu, bulla aut faſtu mentientes. Cœca illa apud vos admiratio, veri ſenſum frangit. Tales à vobis diligi volumus, ut probari peritis confidamus. Fabula eſt, ne vos vulgi ſitis & meliorum fabula, utq; cautiores ad aliam mentem acuat prudentia. Nullum, credite, eſt ex alio mendacio, vel majus vobis, vel minus indoctis periculum. His enim impunitatem imperitia conceſſit, per veſtras autem mortes experimenta agunt, ut qvemadmodum ex ſutore Medicus, ita ex Medico improbus veſpillo exſurgat.

Sordēt præterea vobis, qvi viam aliam diligitis, ſeniorum Medicorum auxilia, & qvando rebus veſtris prudenter conſultum putatis, ad Medicos hac nocte, velut fungi, natos ſpem veſtram de-

volvitis. At non idem honor in pr curandis fabulis Pollioni, qvi Ambiv fuit, neq; par Coi & Theſſali fama pr ceſſit. Ne displiceant vobis, per fide veſtram rogo, ſplendentes ſenioru cani, ſi haberi poſſunt, qvos confide ter graviterq; geſtant, ut illis ſe nil indignum perpetraſſe profiteantu Qvot ibi pilos, tot numerate expen menta per multorum vitas facta. Tu acutè mentis oculo cernunt, qvan corporis oculus deflorescit. Ex ing nii promptitudine juniores comme damus; ſed ſapientiæ condimentu eſt ætas gloriosè & inter innumeros gros peracta, juxta qvam, ſi ſperari p teſt, nemo facilè deſperet. Sero m lunt Deorum molæ, ſed benè comn nuunt. Nota eſt Danais ſatis virt Ulyſſis. Habuiſtis hujus commatis M dicos ſenes haud paucos, & etiamnu apud vos videtis, pro vita veſtra exc bias agentes, formidanda morti nom na, & invictos morborum expugna

r

res. Illos loqvor, qvorum ſpiritus nulla vitiorum contagine ſpurcatus ordidum lucrum ſpernit, recti regu-am & honeſti ſervat, morbos ratione & experientia, non fortuna, ſtrangu-at, non ambitiosè, non protervè, nec amen humiliter apud inferos invidi-m meretur. Hi innocentiâ Æſculapii contra intentatam ab Hercule litem e involvunt, non effugiſſe ſervitutem, neq; purpuratos, ut ille, & ab Omphale ureo ſandalio verberatos lanas in Ly-lia carpſiſſe, neq; furore percitos, uxo-es & liberos vel eodem titulo ſibi ubjectos, unqvam occidiſſe. Hac glo-ia qvum inter patriæ orbisq; orna-nenta caput inter vos extulerint non pauci, multi tamen veſtrum, novorum Medicorum tam ſunt cupidi, qvam pueri novorum latrunculorum. Ita undinas de meritis magnorum Me-icorum exercetis, & eo facto con-emptum teſtamini, qvia commutatis, d publicas qvaſi fœneratorum nuper

erectas

erectas menſas conſiſtitis, & velut in collybo, ſicut Glaucus & Diomedes arma, ita vos in vicem Medicos permutatis, & virtutem bonorum venalem qvaſi proſtituitis. Nam, ſi *Paulo* Icto fides, origo emendi vendendiq; à permutationibus cœpit. Sed veſtro damno, nulla enim in aſſem eſt venditio. Vilius pro digniori vobis ſubſt cedet in permutatione. Dolui hoc paſſu plus vice ſimplici Medicorum ſortem, & ægrorum inconſtantiam, qui veteribus nondum detritis aut laceris novas veſtes ſuperinducunt, Medicosq; ab eruditione medica vacuos, velut ſtatuam à Capitolio crudam admirantur. Digna certè oculis credulorum Marphoræi imago, egregio qvidem capite conſpicua, ſi cerebrum haberet. Annos verò Medico neceſſarios, non ariſtarum ſemper metimur multitudine, ſed judicii doctrinæq; medicæ maturitate. Plurimi enim in recenti ætate ad frugem adoleſcunt, & prudentiâ

claren-

larent, anteqvam annis ſeneſcant. lii in ſenio cunis ſe volvunt, ut pigro nimo blandiantur, næniisq; ad ignaiam trahuntur. At ſi judicio & eruitioni acqviſitæ matura Medico ætas ccedat, in portu navigant ægri. Caritius olim Carboni minitanti qvod bſides Placentinos non dediſſet, ſe ultos gladios habere, venuſtè & qvoam ſecretiore ſenſu de ſe reſpondit: ego multos annos habeo. Neutivam diſſvadeo Juniorum opellas, ſi eceſſaria ſenioris judicii maturitate mperentur. Ab his illi dependent, ut ab uberibus nutricis lactantes, beantq; horum, ut ille loqvitur, gun & lingvam, imò majorum lallos qvantur donec in arte adoleſcant. udabili Patavinorum conſvetudine, ollinari laurea nuper decorati, ſenium Medicorum comitatu adjunntur, cum qvibus Noſodochia adnt, ægrorum ædes inviſunt, de morrum natura, cauſis, ſignis, tempori-

bus

bus, curatione differentes apud lecto
& in plateis audiunt, micantes in carp
venas ductu ſenioris pertentant, lo
um luſtrant, ad formulas remedioru
illis præeuntibus manum aſſueſcun
& ſi minus ex abſentia ſit periculi, æ
viliores lecti adſint, partiuntur cu
his ægrorum curas. Ita creſcunt vel
ad latera truncorum, exiles ran
inſititij, donec ad juſtam maturitate
perducti, alijs ſigna valeant præfer
Nunqvam nos pœnituere illi greſſi
qvos Ducibus *Sala* & *Severino* Senio
bus Patavij olim & Neapoli aliqv
annorum curriculo emetiebam
Nunqvam ita animati fuimus, ut p
us doceremus artem Medicam & ex
ceremus, qvam didicerimus, nec
buit vel ſcrinia paterna, vel diaria
plaſiariorum compilare illorum r
re, qvi operis experiundi audacia qv
circumſpecta experientia felicior
crumenæ veſtræ, non viſcerum fid
ſollicitant, & nunqvam viſa Medi

r

rum ſtudia aut lecta placita, cruda lucri cupidine vel famæ aucupio in forum protrudunt. Non tamen fas eſt, præcocibus præclarorum ingeniorum virtutibus, qvas inter vos non paucas in ſpem decedentium Seniorum florere ſcimus & hoc vobis nomine gratulamur, vel tantillum deterere. Culpæ pars ad me redundaret, ſi immaturo judicio damnarem & extenuarem omnia multis Phœbi caloribus haud diu concocta, qvia & me juniorem memini, qvum ante hos viginti annos & qvod excurrit, Medicæ exercitationi nuper in patriam redux vacarem. Ratione & rerum uſu penſum noſtrum perficitur. Illam nobiſcum qvaſi natam, citius poſſidemus, hunc temporis tractu ab alijs mutuamur ſed ratione ſuffultum. Auxilium commodat memoriæ felicitas, prudens intelligentia, & aſſidua exercitatio. Priora facit promptus ætatis vegetæ ſenſus aſſeritur, hanc noſtram facimus, ſi præ-

terita

terita cum præſentibus conferamus, Seniorum annos & experientiam adop temus, juvatq; ſuſceptorum negotio rum ſucceſſum, ſingularis propitii naturæ propenſio, cujus benigno affla tu diſcernimus ad rem præſentem pr futura. Eo genij favore publicam gr vioris imperij molem ſuſtinuerun haud pauci, nec annis nec canis on ſti. Anno duodecimo Juliam avian mortuam Auguſtus, Patremq; Tiber us nono laudavit. Cauſas in foro an nos undeviginti natus Q. Hortenſi egit. Hoc junior Hermogenes, inſi nis ille dicendi artifex, eloqventiæ a tem eleganti opere tradidit, & de ſt tibus, Ideis, Inventione præcepta posterorum memoriam transmiſi necdum luſtris qvatuor completis. N gentium annales evolvam, unicu *Montuum* Medicum vobis ſiſto patru noſtrorum memoria, juvenilia ſua (puſcula orbi grata & melioribus ju cijs divulgantem, Aliorum juvent

te

tem contra *Riolanum* ſenem alibi tutatus ſum. Noſtrâ certè memoriâ pleraq; nova inventa in Anatome, Juniorum Medicorum felicitati & induſtriæ referimus accepta. Scilicet nihil hi illiq; cum juventute habuerunt commune, virtute qvam annis provectiores. Menti virili ſenium æqvant, & diligentia annos ſuperant, veri Æſculapii pulli, qvi cum Parente Apolline imberbis fingitur ab Antiqvitate, ſi qvidem etiam in genis nulla lanugine inumbratis medicinæ decus & ſplendor effloreſcit. Qvo nomine Dionyſio plurimum debent Medici Juniores vel qvicunq; d morem ſeculi imberbis ſe componunt, niſi & hoc crudelitatis ejus t documentum, qvi primus in Sici-a Epidaurii Æſculapii barbam au-eam, præclarum ſenilis vultus orna-nentum, ideò demi juſſit, qvia mi-us conveniret barbatum eſſe filium,

Gg qvum

qvum in omnibus fanis Apollo Pater
eſſet imberbis. Non itaq; ubertate
menti, an barbæ inutilis plenum ſit
æſtimanda mens, ſed an rerum copii
& maturitate luxuriet. Unde ſuſpen
ſo naſo hominis Siculi, Viri alioqvin
eruditi, ridebam olim judicium
qvi ad lautam cathedram, Nobiliſſi
mæ Meſſanenſium Reipublicæ nomi
ne, pridem, cum apud exteros dege
rem, me evocaturus, nihil in me de
ſiderare videbatur, niſi qvod ſapienter
barbam non paſcerem, Mentiri autem
nec facie volui, nec pectore didici. A
mavi tamen hominis candorem, & pu
blicè jam florentiſſimæ illi Reipublicæ
Saturni olim hoſpitio clariſſimæ gra
tum me profiteor, qvod nullis ne
familiæ nec perſonæ meritis, ſo
fama noto dignitatem obtulerint
togam, cui imparem me agnoſce
bam. Nunqvam igitur nec Æſculapii
verſum fuit vitio, nec Apollini, qvo
illi

ille barbam demiſerit, hic detruncarit, qvia uterq; ſcientiæ dignitatem cum ætate maſculé tuebatur. Sæpe annos antevertit ſapiens, nec animus, divinitatis imago, longiorem ætatis ordinem expectat, anteqvam origins ſuæ propius advolvatur, præſertim ſi illos habeat, qvibus, velut cymbalæ onerarijs, adhæreſcat. Felix ô patria, ſi bona tua noris. Habes ſenes Medicos, habes Juvenes, utrosq; in arte peritos, abundas remediis inqvilinis, advehuntur peregrina, nihilq; felicitati tuæ deeſſe videtur & ægrorum, qvam ut ſingulis rectè utaris. Sed inventis frugibus, mavis veſci glandibus. Utriusq; enim ætatis Medicos vel negligis vel ſerò advocatos ſine præmio ſæpe dimittis; verò empirici impoſtoris, vel aniculæ garrulæ, vel militis oſtentatoris, vel ſordidi ruſtici, vel carnificis crudelis indicium fiat, prompta es ad

obſeqvium & ad munera liberali
Ignoſcite, cives mei, qvod nævos ve
ſtros extergam, natus qvidem ut co
poribus ægris proſim, jam verò anim
morumq; purgationem inſtituam
Si callum obduxiſtis, patiar vos dein
ceps ſenſu veſtro abundare, vosqv
cum Empiricis malè valere, & han
lampada, qvæ non ingloriè hactenu
apud vos arſit, Pani tradam, de ven
innocentiæ meæ & erga Divinam
artem fidelitatis, apud Poſteri-
tatem ſecurus.

TH. BARTHOLINI
Pro
Medicina Danorum
Vindiciæ.

INnocentiæ qvia plus periculi qvam honoris, ne patriæ medicinæ laudibus occupato offenſas publicas procuret ſiniſtra nonnullorum interpretatio, qvi in aliorum ſcriptis acutum cernunt, adverſa tela, jam diu prævifa, retundenda reſtant, qvibus vel fides mea ſuſpecta reddi poſſit, vel boni publici amor elevari. Illud enim ſeculum terimus, ut benè cogitata in deteriorem partem trahantur, & ſtrenuè domeſtica ſordeant. Unde injuriam paſſi creduntur, qvi ad propria reducuntur, vel infamiam, qvi peregrina detrectant. Ne verò faba defenſæ

patriæ in me cudatur, nodos ſolvam, qvos nectunt, qvi id hic qværunt, no[n] qvod in fabis pueri, ſed qvo calamus innocentiâ ſua qvietus, traducatur. Nolo de me credi, dum peregrinorum medicamentorum apparatum ſperno, victumq; domeſticum civibus commendo, ideò qvoq; peregrinos homines ſeu advenas odiſſe, vel commercia exterorum velle inhibere. Peregrino[rum] enim errores, non homines, averſari ſoleo. Neq; hoc paſſu à patrum no[] ſtrorum integritate deſcivi. De Dania noſtra olim Henricus Saxoniæ Princeps Cæſari teſtabatur, commune advenarum exiſtere hoſpitium; tantum apud Danos ſervandorum hoſpitum ſedulitatem fuiſſe, ut eorum ſalu[tem] perinde ac propriæ ſtuduerint, ebriu[s] Bogislaus Sclavoniæ Primas ab Abſa[] lone Antiſtite Danico exceptus conv[i] vio apud *Saxonem* noſtrum l. XVI. fa[] tebatur. De commerciis major e[ſt] difficultas. Illa tamen, tantum abe[ſt]

expl[]

explodam, ut humanæ ſocietatis memor, impensè laudem, modo caveamus ſedulò, ne peregrinum luxum ea occaſione mutuemur, unde & mores antiqvi depraventur, & nervus rerum præclarè domi foriſq; gerendarum peregrinis tãdem mercibus commutetur. Utrumq; patriæ detrimento metuendum avertere, boni civis eſt. Huic commercio irretiti olim Dani, potandi commeſſandiq; conſvetudinem ceperunt, qvam primi ignorarunt, ut peſſimè hoc nomine in Annalibus audiant. Guloſius inde condiendi cibos & luxurioſius fercula ſtruendi, capillorum concinnationes, & varias veſtium normas figurasq; edocti ſunt. Ingello Regi Daniæ vitio vertitur, qvod projectis majorum exemplis, innovando menſarum ritu licentius ſibi qvam mos patrius permittebat indulſerit. Poſtqvam enim ſe Teutonicæ moribus permiſit, effœminatæ ejus laſciviæ ſuccumbere non erubuit. Ex

cujus ſentina in patriæ noſtræ fauce
haud parva luxuriæ nutrimenta fluxe
runt. Inde enim ſplendidiores menſa
lautiores culinæ, ſordida coqvorum
miniſteria, variæq; farciminum ſorde
manavere. Inde licentioris cultus u
ſurpatio à ritu patriæ peregrinata eſſe
Itaq; ſicut *Saxo* l. VI. conqveritur, re
gio noſtra qvæ continentiam in ſe tam
qvam naturalem aluit, luxum à finit
timis depoſcit. In patriæ hiſtorii
memoratur qvoq; Sveno, qvem mali
Petrum vocant Germanorum Annale
qvod ſpreto Danico ritu Germanicum
ſit æmulatus. Nam & cultum Saxo
nicum ſumpſit, & ne eo invidioſius u
teretur, militum ſtudia ad ſimilem ve
ſtis uſum adduxit, ruſtici moris tædio
comptioris famulitii grege palatium
inſtruens. Qvin etiam epulandi ruſti
citate depulſa, externas menſis comi
tates adſcivit, comeſſationumq; ritu
cultiore miniſterio gerendos inſtituit
Nec ſolum cultum novavit, ſed etiam

edendi

edendi bibendiq; facetias tradidit. Nempe in aula Imperatoris Friderici Mersburgi blanditiis illectus verſatus fuerat, & domum reverſus, qvanqvam imperium illius detrectaret, in mores tamen & cultum transiit, aulamq; ſuam, qvam ſibi ſervire volebat, alieno luxu ſubmiſit, & qvi fidem Cæſaris aperta fraudis exprobratione damnavit in regnum reverſus, illius tamen ſuccubuit aulæ vitiis. Norwegia freqventi exterorum commercio paulatim qvoq; mores, victum & amictum olim corrupit, principum ſuorum exemplo, qvi variis peregrinationibus in Hiberniam, Angliam, Græciam & Palæſtinam ſuſceptis, novorum rituum auctiores redierant. Anno Ch. 1069 regnante Olao Haraldi filio mores peregrini ibidem recepti narrantur. Ita enim *Snorro Sturlejus* in Chron. Norvag. Tum Norwegi plurimos mores peregrinos & veſtitus receperunt, caligas pretioſas circa pedes conſtrictas, &

annulos aureos circa ſura, calceos
tos ex ſerico conſutos, auroq; orn
tos & ligulis ſericeis, tunicas qvaru
extrema globuli diſcernebant, mani
qvinq; ulnarum longitudine protenſ
anguſtis & circa axillas corrugat
Ipſe Rex Olaus ad exterorum Regu
morem ſuam menſam inſtruxit, cere
candelis, præviis libaminibus & al
hujus cenſus, præter aulicorum num
rum & ſplendorem. Ex peregrin
tamen patriæ ſuæ neceſſitati, furni
caminisq; & pavimentis conſului
qvibus tantum Norwegiæ prodeſſ
non potuit, qvantum peregrino lu
obfuit. Caminos ſine dubio ant
habueruntNorwegi, qvales in uſu oli
erant, & adhuc in nonnullis Scani
Weſtphaliæ &c. locis viſuntur, mol
ſtia fumi oculis inimicos, qvales
Roma vetus novit, ſed ſeqventium ſ
culorum caminus, qvi qvaſi gula a
ſcendentem è foco ignem accipit
extra tectum educit, commodior cu

tior

tiorq; ab Olao introductus fuit. Sic patriæ commoditati conſulturus Olaus, mala multa commodè induxit. Commerciorum hic fructus eſt, ut in veſtibus & victu luxus emineat, qvo præcipuum fortitudinis vinculum continentia eliditur. Freqventia verò mercatorum commercia qvæſtui illorum dicata, depauperandæ magis patriæ, qvam uſibus neceſſariis inſerviunt. Poma peregrina, nuces exoticæ afferuntur, ut domeſticæ divitiæ referantur. Aurem mihi vellicat amicus, fiſco Regio detrimentum mea culpa inferri, ſi inhibitis peregrinarum mercium commerciis telonia imminuantur. Ego, ſi eo rem deducat Inqviſitor, ut fiſci res agatur, verbulum musſitare nolim. Cæterum monitore officii mei opus non habeo. Sanitati enim proficua docere inſtitui, qvam domeſtico rectius & victu & medicamento conſuli neq; illi negabunt, qvi fiſci publici rationem habere debent.

Con-

Conſilium do, amore patriæ, non im-
pero. Unusqvisq; ſuo ſenſu abundet.
Qvi peregrinis delectantur, occaſio-
nem captent, ut voti compotes fiant.
Svademus domeſtica, nec peregrina
prohibemus, qvibus illi ſe emancipent,
qvi domeſticis bonis acqvieſcere vel
non volunt vel non poſſunt. Medicus
in eo occupatur, ut ſalutaria corpori-
bus præſcribat, qvæ an Reipublicæ ſint
ſalutaria, diſpicere debent illi qvibus
publicæ rei cura demandata eſt. Nos
neceſſaria noſtra poſt honorem & uti-
litatem Regis ducimus. Qvantum
autem ego perſpicio, fiſci Regii ſalus
in incolarum qvoq; incolumitate ver-
ſatur & opibus, qvas vel augeri vel
conſervari ſperamus, ſi domi natis
rectè & prudenter cives uti ſciant.
Qvicqvid ſit, medicamentorum pere-
grinorum libera eſſe ſolet ſine telonii
mercatura, ut nulla inde redituum
Regiorum metuenda ſit jactura. De
cætero alienam rem periculo meo

cur-

curare nolo, nam in reliqvis ad luxum ſpectantibus mercibus, qvæ ex peregrinis offeruntur, portoria majora, exemplo Cæſaris apud *Svetonium* c. 43. recte & prudenter inſtituuntur, ut & fiſco publico conſulatur & luxus qvaſi hoc fræno vel inhibeatur vel mulcte-ur. Succedunt Sacrorum Antiſtites, qvi in hoc argumento, qvod tracto, inveniunt qvæ religionem offendant. Pro vini enim neceſſitate interpellant, haud facilè conceſſuri neceſſariam ſacramenti partem immutari, aut nullam aliumve liqvorem ſubſtitui: potius intermittendum Euchariſtiæ uſum rati, ſi qvando vinum vel hyemis inclementia vel bellorum injuriis denegetur, qvia non privatio ſed contemptus damnet. Rectè illi qvidem pro Divino myſterio pugnant. Et tanti nos illud facere tenemur, ut ſolius vini cauſa peregrini mercatores alliciendi ſint, ſi vel horti non ſufficiant uvis exprimendis, vel alia impedimenta adſint.

Viden-

Videndum igitur, qvomodo ſaluti ho-
minum & conſcientiæ rectius, ſine Dei
offenſa conſulatur. Veteres qvidem
nonnulli nimium ſibi in materia hac
indulſerunt, qvorum audaciam non
probamus, qvia de ſola vite Chriſtus
loqvitur. Encratitæ vini odio, qvod
averſabantur, ſolam aqvam myſteriis
adhibebant. Alii Chriſtiani religio-
ſiores aqvam vino permiſcebant, qvod
ex Patribus nonnullis factitatum legi-
mus, Lac & mel in infantum Euchari-
ſtia in veteri Eccleſia offerebatur. In-
nocentius VIII Pontifex Romanus
Norwegis mulſam aliosq; liqvores
domeſticos concedebat. Tanta au-
tem cautione in inſtitutione prima u-
ſus fuit Salvator, ut certam vini ſpe-
ciem nusqvam determinarit, nam ποτή-
ριον vocant ſacri Annales, qvemadmo-
dum panem in genere inſtituit, qvi
ſive ſiligineus, ſive triticeus ſit, pro ter-
rarum diverſitate incolarum arbitrio
relinqvens. Neq; igitur in vini electi-
on-

ne peccare nos credimus, qvi album ligimus, freqventius ad nos ex Gallia Germania afferri ſolitum, qvanvam vero ſit ſimile à Chriſto rubrum iſſe diſcipulis propinatum, ut ſangviem colore referret. Tale qvippe in aſchalis feſti celebratione olim omparare Judæi ſolebant, qvia præantius & generoſius, ex Levuſch Num. 72. §. 11. tradit *Jo. Buxtorphius.* Si videm igitur vinum in ſacris adhieri fas eſt, impium eſto eo in conviiis & commeſſationibus abuti, qvo uſu freqventia navigia onerantur. inum etiam in Deorum Paganorum crificiis uſitatum. At in ſacrificio ugiano Idoli Svantoviti, de qvo *Saxo* XIV. placenta mulſo confecta roundæ formæ placebat ſuperſtitioſis lololatris.

Aulici delicatioresq; mortales pro ſtico victu traducunt veterum Daorum epulandi rationem, nobis ntopere deprædicatam, adeoq; juſtis

de

de cauſis peregrinam in uſum rev[illegible] candam nobilibus ventriculis ma[illegible] dignam. Sed ruſtica qvanqvam ſ[illegible] ad valetudinem tamen conſervanda[illegible] & fortitudinem plus operæ confe[illegible] qvam altera qvam nobilioribus deſt[illegible] navit ſeqvior ætas. Olim certè ruſti[illegible] victu fortiſſimi qviq; acqvieverun[illegible] qvi ex agris ad ſumma imperioru[illegible] protracti feruntur, de qvorum vic[illegible] dicere fas eſt, qvod de agricultura *Va*[illegible] *ro* R. R. l. III. cap. 1. divinam natura[illegible] dediſſe agros & agreſtem victum, [illegible] tem humanam ædificaſſe urbes & l[illegible] xum urbanum invexiſſe. Nec ta[illegible] ruſtica fuit antiqva Danorum qvad[illegible] qvin Reges ipſos, qvibus in maxun[illegible] fortuna minima licentia fuit, ad [illegible] traxerit. De *Johanne* Rege Daniæ t[illegible] ſtatur *Witfeldius*, qvod plerumq; ce[illegible] viſiam Danicam biberit, & in prand[illegible] ferculum Danicum Gammelmad re[illegible] qvis eduliis prætulerit, more Dan[illegible] rum qvibus æqviſſimo imperio R[illegible]

pr[illegible]

ræerat, veſtitumq; & armaturam ad
eterum Danorum conſvetudinem
ompoſuerit. Monoheroibus Odinus
ırdum apri pro victu, & medonem ex
beribus capræ profluentem pro potu
edit, ſi fides Eddæ Islandorum *Snor-
onis Sturlæi* à Conſultiſſimo noſtro P.
eſenio latio donatæ, Mytholog. 33. 35.
ec Antiſtitibus Daniæ vulgares epu-
s fuiſſe infreqventes, qvanqvam
lendide plerumq; vixerint, exemplo
piſcopi Norwegici Andreæ Muſculi
ſcimus, qvi ætate provectus abdicato
unere Romæ degens, ſanitatis gratia
Pharmacopolio Romano ſibi afferri
ſſit dorſum ſuillum fumo indura-
m, qvo ſine dubio in patria libenter
us fuerat, qvam tamen Herbam
noravit Pharmacopœus Romanus.
convivio Regali, cui Reges Norwe-
æ Sivardus & Iſtenius A. C. 1117. in-
fuere, cerevíſia pro potu dicitur
opinata, cujus vilitatem emendatu-
s Rex Iſtenius, ut convivæ frontem

exporrigerent, ſermones jocosq; con-
vivales, qvos Øl-Snack vocabat, qv-
ſi ſermones cereviſiarios exorſus fe-
tur, patria corona dignus, qvia patr-
bona pro ſplendidiſſimo apparatu æſt-
mabat. Profanam menſam ſine ſal-
ſaccharo, & vino incuſant deliciis pe-
regrinis diffluentes, qvibus pro mem-
patriæ defenſione reſponſum volo, ſ-
lem eſſe nobis inqvilinum, & cæte-
ſua eſſe ſuccedanea. Sale qvidem c-
rere non poſſumus: Adeò enim nece-
ſarium eſt elementum, ut, judice *P-*
nio Lib. XXXI. c. 7. tranſierit intell-
ctus ad voluptates animi qvoq;, na-
ita ſales appellantur: qvanqvam, ſi u-
geat neceſſitas, aqva marina pro ſ-
nobis eſſe poſſit, & ipſa arenæ mari-
affuſa aqva dulcis, qvam ſole ſiccata-
mutari qvoq; in ſalem author eſt *V-*
getius l. 4. c. 11. Friſii Danis ſubje-
hoc ex inundationibus olim comm-
dum cœpere, qvod torrefactam g-
bam in ſalem decoqverent. De-

qv-

qvendi ſalis opifices in Dania non defuere. Hiarno enim, narrante *Saxone* l. VI. in aula Fridlevi decoqvendi ſalis opificem profeſſus inter ſordidioris miniſterii famulos ignobiliora exſeqvebatur officia. Nec puteis ſalinis carebamus. Author eſt *Witfeldius* noſter in Vit. Johannis Regis Daniæ, Lamberto Hermelino Regio indultu conceſſum fuiſſe jus effodiendi extra Coldingiam putei ſalini, qvem ſuo tempore qvoq;, ſed fruſtra repetitum, qvia peregrina aqva propoſitum interturbavit & dulcis ſupernatans fundo alſo: illud autem ſal Lunæburgenſi perſimile fuiſſe, niſi qvod ad ruborem nonnihil deflecteret. Qvomodo Norvegi ſal decoqvant, tradit *Olaus Magnus* lib. XIII. c. 43. findunt cavantq; longiſſimas pinus vel abietes, reſtibus fortiſſimis, qvaſi circulis eas iterum numero ſufficienti reſarcientes: atq; ſaxis ligatis, illas in profundum, foraminibus in arborum extremitatibus, ut

ſalſior aqva ingrediatur, relictis, imi mergunt, canale propius qvo pote rint, juxta littus pluribus officinis ex tructis obfirmantes, unde aqva è pro fundo ingreſſa, extrahi poſſit, atq; in caldare ſuppoſito igne lento, transfum di, decoqvi, & in ſal converti. Magn qvippe ſalis copia ſemper indigen Norwegiæ incolæ, propter copioſan piſcium capturam, qvos ſale condito per orbem mittunt. Mediterranea lo ca inhabitantes, ſi aqva ſalſa maris ha beri non poſſit, ex plantis arboribusq obviis incineratis ſal ſibi pro rerum u ſu decoqvere poſſunt. In Cimbria ve rò, Selandia & Norwegia certatim ſ ruſtici conficiunt, & in prædio qvoq meo diligentiores coloni ea ſe arte e ercent, qvando algæ copia haberi po teſt, qvanqvam ex mari Balthico, mu tis fluviis dulceſcente, ſalis copia mi nor extrahatur. Saccharo mel no ſtrum ſubſtitui, non ſemel dixi, & u certior ſit fides, jam repeto iterum

it

iterumq;. Magnificum de eo elogium *Olai Magni* Lib. XXII. cap. 19. extat: Mella qvæ poſt ſolſtitia colliguntur, adeò ſalubria ſunt, ut nedum pro ſano cibo in pane, potu & eſcarum condimentis uſurpentur, ſed etiam pro electiſſimis medicinis diligenter cuſtodiantur, qvandoqvidem in Aqvilonaribus terris Medici rariſſimi ſunt, ſed ſalubris aër, eſcarum ſana virtus, & melleus potus, optimam medicinam præſtat. Hic qvanto vetuſtior eſt à tempore ſuæ decoctionis, nempe 6. vel 12. annorum, tanto efficacior ad multorum morborum remedia adhibitus reperitur. In terra promiſſionis Jehovah Ebræis promiſit lac & mel, nulla ſacchari mentione. Doctiores vilitatem medicinæ domeſticæ ex patriæ Annalibus opponunt. Nam Gram Daniæ Rex, in Finnia inchoatis nuptiis Signes filiæ Regis ſuperveniens, extremæ vilitatis veſte ſumpta, deſpecabili ſedendi loco discubuiſſe narra-

tur, rogatusqve qvidnam afferret: medendi ſolertiam profiteri ſe dixit. Sed qvantum ego ex patria hiſtoria intellexi, olim medicina ab omnibus culta, pro exercentis dignitate plus minusve æſtimabatur. Magnorum parvorumqve ſcientia erat, qvam & Reges & Antiſtites & plebeii ex herbis domeſticis callebant & exercebant. De Rege enim Skioldo *Saxo* teſtatur l. 1. ægros fomentis proſeqvi, remediaq; graviter affectis benignius exhibere ſolitum; ſe non ſui, ſed patriæ curam ſuſcepiſſe teſtatum. Abſalonis Epiſcopi Roeſchildenſis & Archiepiſcopi Lundenſis magna erat inter Danos authoritas, armis & literis inclyti. Medici tamen officium Eskillo Scania excedenti præſtitit. Qvum enim is ſenio confectus & longis in Orientem peregrinationibus ſe tanto pedum frigore teneri, ut noctu qvietem capere non poſſet, conqveretur; Abſalon, qvi caſtelli ſui hoſpitio eum exce-

xceperat, calidum laterculum ciſtula rebris foraminibus diſtincta incluum plantis applicuit, eoq; fomenti enere præfrigido ſeni patientem qvieis calorem reſtituit. Cujus medicanenti beneficium hoc Eskillo gratius uiſſe refert *Saxo* l. XIV. Abſalonis inimus, qvo impulſore Hiſtoriam patriæ onſcripſerat, qvod ab artificis chariate, non ſcientia aut profeſſione maárit. Igitur qvanqvam olim Medicis Dania per multa ſecula caruerit, ſicut qvondam Romani; medicinam tanen magni parviq; exercuerunt, à qviius arti authoritas dignitasq; & ægris omeſticis incolumitas, qvi tamen om in Dania perpauci, niſi ſenio graante. Qvondam enim rei bellicæ editis Danis morbo oppetere probroım exiſtimatum eſt. Hinc qvia freventia vulnera noverant qvam mor‐os, etiam Chirurgis abundabant, vorum, ut ille ait, certior ars eſt; ſed omeſticis utriusq; ſexus & omnium

ordinum. Starcatherus ille Her
nobis hic facem prælucet, qvi vulr
ratus curari noluit à Præcone, qvod
omnem vitæ curſum nefanda ſemp
opinione reſperſerit,&qvæſtus loco p
perum duxerit detrimenta; nec ab a
cilla, molendi officio aſſveta, opera
ſuam offerente,qvam melius propriu
ſangvinem lactis nutrimẽtis,qvam all
na vulnera remediis proſecuturam ſc
bat,ſed ab agricola,qvi evulſas ſtomac
partes priſtino loco reſtituit, elapſa
qve exterorum congeriem nexili v
minum complexione perſtrinxit. Ag
colæ arti ideò incomparabilis forti
dinis & ſobrietatis Heros ſe ſubmitt
re voluit, qvia ruralis vitæ habitu
etiam excellentiſſimis opibus præ
rendum putavit, cujus integerrim
fructus, addo & domeſtici, inter ſple
didam abjectamqve fortunam medi
critatis gremio orti educatiqve vid
rentur. Et huic forſan herbarum i
qvilinarum vires notiores, & Chiru

gi

giæ peritiam à Veterinariis mutuatam, potius qvam reliqvis innotuiſſe judicavit patriorum morum obſervantiſſimus. Reges igitur, Præſules, Abbates, Præcones, ancillæ, agricolæ, olim inter ſe diviſerunt medendi artem, & milites ipſi, qvi Chirurgiam inprimis callere poterant crebris vulneribus acceptis edocti. Id de Vitolfo prodidit *Saxo* Lib. VII. Haraldi milite, qvi qvod hoſtilibus ſæpe telis petitus fuerat, non infimam medendi peritiam aſſidua vulnerum ſuorum curatione contraxerat. Singulari autem ingenio hic Medicus fuit, qvia minis non adulatione beneficia poſcentibus obtulit, ut ſi qvis blandimentis operam ejus expoſceret, hunc medelæ loco occultæ læſionis noxa afficere ſolitus ſit. Inter tot Profeſſores vagabatur olim Medicina inqvilina, modo ſervili habitu, modo libero, ſicut & Romæ vel ſervi dicebantur Medici, vel amici Imperatorum; donec inter varios

 diſper-

diſperſa medendi ars, ad eruditos de volveretur circa Academiæ Hafnienſis natales, in idem chaos aliqvando reditura, niſi me fallit augurium. Cùm verò in manus eruditorum Virorum incideret medicina Danica, caput extulit & majori arte exerceri cœpit, paulatimq; peregrino cultu exornata pene jus propriæ civitatis amiſit. Hinc alienis medicamentis inductis, domeſtica eliminata, qvorum ſenſim uſus obtritus, ut adeò jam nova experientia opus ſit, qvam in peregrinis to gentium & meliorum Medicorum conſenſus ſtabilivit. In patriæ tamen laudem hic multa tentanda, ut uſu confirmentur qvæ domi nobis Naturæ gratia indulſit. Sunt nobis ad experimenta facienda ægroti, morbi domeſtica medicamenta, Viri in arti operibus exercitati, ingenium incolarum, curioſorum ſtudium, omnia e voto. Qvibus eruditus Naturæ amaſius, aliarum gentium applauſum jun-

gi

it, & Medicorum exterorum experi-
ntias, qvibus patria medicina vel il-
ſtretur vel confirmetur. In peregri-
is medicamentis multorum qvoqve
ſus deſideratur. Operoſi adhuc ſunt
xoticarum rerum fautores in experi-
entis circa herbam Thée faciendis,
Coffé probanda, in China Chinæ ad
bres accommodanda. Cur ſpem ab-
cimus in tentandis inqvilinarum her-
arum virtutibus, qvaſi nihil hic glo-
æ noſtræ eſſet relictum? Cæterum
gidis illis Cenſoribus, qvi experien-
am noſtris denegant, probata pluri-
arum herbarum virtus & vulgo no-
o decanta opponi debet. Scorbu-
, morbo inqvilino, dicata remedia
Cochlearia, naſturtio, raphano,
amæmoro, trifolio aqvatico &c.
m nota crebrisq; experimentis con-
mata ſunt, ut panis notior non ſit
otidianus. Idem de aliis herbis di-
m puta, alibi juſta ſerie allatis. Tor-
ntilla in Inſulis Feroenſibus tam
vul-

vulgati uſus celebratur, ut ad co
ſubigenda adhibeatur, & ſaginan
porcis inſerviat, qvod incolarum
perientiæ debemus. Angelicæ Norw
gicæ radix à multis ſeculis ibidem
venena pellenda fuit uſitata. Mem
in Hiſtoria Norwegiæ legiſſe, pro t
menti genere angves ſeu viperas f
cibus immiſſas, ut in ſtomachum
lapſæ cruciatus excitarent, & ut pro
ptius fauces invaderent, Angelicæ
dicem ab aſtantibus ori appoſita
qvam animal venenatum fugere n
ignorabant. Neq; enim experim
torum ignari fuerunt Boreales, aut
turæ imperiti. In Sinum Limic
Cimbriæ irruptionem fecerat An
Chriſti 1060. Rex Norwagiæ Haral
Sivardi filius, inſulamq; vicinam de
latam occupavit, in qva, aqvæ penu
laborans juſſit afferri angvem, qv
Lyng-Orm vocant, eumq; foco v
num ad ſitim compulit, qvo dei
demiſſo obſervatoqve loco qvem

erra eruit, illius ductum ſeqvuti ſatis
qvæ eadem effoſſa terra invenerunt,
cut pluribus memoriæ poſterorum
rodidit *Snorro Sturleus*. Succos in ve-
erem miſcere antiqvis Danis cogni-
um erat. Qvo artificio filiam Regis
Iunnorum enervare conata eſt Got-
ara, qvod & de Craca teſtatur *Saxo*
ib. V. De ſangvine Urſino experi-
nentum alibi annotavimus. Ericus
)aniæ Rex in campo gelati maris de-
urſurus, ex corio crepidas ſibi fe-
t, qvas abietino gummi interfuſis
nixtim harenis obliniens, qvo firmius
eſtigia poneret, ſuis ſuorumq; pedi-
us adaptavit. Othinus olim ſtatuam
ira artis induſtria ad humanos tactus
ocalem reddidit. Cujus artis ratio-
em ex Pneumaticis reddere difficile
on eſt. Hæc & alia in patriæ hiſtoriis
ccurrentia fidem faciunt, variis na-
ræ experimentis etiam veteres Da-
os in ſumma barbarie vacaſſe, ut de
culis noſtris cultioribus nihil dicam,

qvæ

qvæ variis naturæ inventis, curio
pariter & utilibus ſe exercuere. P
cæteris in patriæ antiqvitatibus occu
rit experimentum, illuſtre olim & pu
licum, ferri candentis, qvo & pudi
tiam probabant, & natales legitim
& homicidia, & qvamvis innocentia
De hoc Ordalio, noſtris Jerntegn/all
Jernburd/ ex antiqvitate multa coll
git immortale patriæ decus *Ol*
Worm l. 1. Monum. Danic. c. 11. & (
Jo. Loccenius Antiq. Gothic. l. 2. c. 7. N
qvoq; hanc rem ex veteribus illuſtr
vimus Cent. 6. Hiſt. 51. Hic naturæ
creta rimabimur, & patrum noſtroru
ſolertiam. Chirothecam ignitam g
ſtavit Poppo, cui manum cubito ten
inſeruit, religionis Chriſtianæ veri
tem Danis probaturus. Vomer
candentes Norvegi eligebant, in q
bus incedebant rem aliqvam dubia
demonſtraturi. Haraldus, ut ſe filiu
Regis Haraldi probaret, regniq; hær
ditatem ad ſe pertinere, novem v

mer

meres ignitos calcavit, & ſingulos nudis pedibus preſſit, duobus Epiſcopis comitatus, nullo læſionis indicio comparente. Simile examen manu ferrum candens geſtante ſubiit Erlingus Steenveg in præſentia Regis Waldemari, ut ſe regiæ familiæ aſſereret. Miraculo ſeu virtuti divinæ rei eventum pleriq; aſcripſere. Nam ab Epiſcopis prius ferrum conſecrabatur. *Saxo* noſter l. X. Popponis experimentum qvo ipſam rerum naturam audacis voti conſtantia ſuperavit, pro miraculo celebrat, qvo externus genti noſtræ religionis Chriſtianæ ſpiritus ingeneratus. Ut mirum ſit, qvod tandem à Pontificibus Romanis damnatus ille fuerit ritus. Ita enim *Alexander* Papa ad Upſellenſem Archiepiſcopum ſcripſit An. Ch. 1156. Ferventis qvæ vel candentis ferri judicium, ſive duellum, Catholica Eccleſia contra qvemlibet etiam, ne dum contra Epiſcopum non admittit. Unde *Stephanus*

Papa

Papa V. ferri candentis, inqvit, vel aqv
ferventis examinatione confesſionem
extorqveri à qvolibet ſacri non cen
ſent Canones, & qvod ſanctorum Pa
trum documento ſancitum non eſt
ſuperſtitioſa adinventione non e
præſumendum. Miraculum primi
Popponis experimento ſubeſſe, no
auſim negare, qvum ſæpe contra na
turæ potentiam operetur Deus in ho
minum converſione, præſertim cum
& alio miraculo tunicæ ceratæ incenſ
fidem religioni fecerit Poppo apu
Adamum Bremenſem l. II. c. 26. Ita d
Roberto duce Normannorum ſcrib
Krantzius l. II. Norv. c. 27. qvod cum
primus conatus in igne purgation
fure deprehendendo irritus eſſet, qv
omnes villani ſubierant innoxiè ſcru
tinium: ad Epiſcopum converſu
Deus, inqviens, Chriſtianorum ſi e
conſcius ſecretorum, cur furem no
prodit? At Epiſcopus necdum ben
firmatum in religione non curripui
ſe

ſed cauſam prætendit, qvia ignis nec-
dum furem tetigit. Deinde uxor ru-
ſtici qvæſtionibus adpoſita furtum fa-
tebatur. Qvod verò pro lege patria
is deinde defenſionis modus ſit rece-
ptus, mirari debemus, cui nocen-
tes ſæpe dedere pœnas, innocentes in-
columitatem, qvanqvam non raró e-
ventus ſpem fefellerit. Suſpectam
miraculi perpetuitatem reddidit Mag-
nus apud *Saxonem* Lib. XIV. inſidia-
rum contra Waldemarum reus. Ro-
gatus enim à Duce Saxoniæ Henrico,
n tantum fiduciæ in innocentia ſua
eponeret, ut hujus experimenti indi-
io ſpem defenſionis petere auderet:
nceps id genus, nec ſemper miraculo
ræditum ajebat, qvod plerumqve &
nnocentes damnare, & noxios abſol-
ere ſoleat, fortuitosq; maximè expe-
mentorum eventus habeat: neqve
nim divinam potentiam tanta mor-
llium cura flagrare, ut qvibuslibet
rum votis rerum naturam cedere

Ii com-

compellat. Innocentes qvoq; deluſc
ex hiſtoria Norwagica *Sturlei* percep
mus. Qvippe Regina Margaretha nc
verca Regis Aqvini in ſuſpicionem
ſublati veneno Regis venerat, qvam
ut dilueret, conſenſu Procerum, pe
Petrum qvendam pro ſe ſuisq; cande
tis laminæ experimentum ſuſtinuit
qvi qvanqvam innocens, alienam cu
pam luiturus malè combuſtus, pro R
ginæ nocentis flagitio, ſuffocatus p
riit. Me judice, divini per Poppone
miraculi imitatione poſteri & aſtu
mile experimentum finxerunt, vel a
te naturali æmulati ſunt. Fallacia
ſubfuiſſe, difficile perſvadebo illoru
temporum Politicis: Nam de ſumm
imperii nonnunqvam agebatur, pa
temq; Regni occupavit Haraldus, q
experimento ſe ſubjecit, conſentien
Sivardo, qvi univerſo antea præer
ut verò ſit ſimile diligenter ad rei
ventum attendiſſe Sivardum, de cu
dividendo regno tranſigebatur. Pot
tam

tamen negligentius res examinari, qvia religioni fidebatur & Antiſtitum ſacrorum authoritati, qvorum confeſſione ſtabant veteres cadebantq;. In Erlingi hiſtoria obſervavi nonnulla, qvibus perſvadeor ab Epiſcoporum voluntate proſperum experimenti ſucceſſum dependiſſe. Nicolaus Epiſcopus Erlingo ſuam operam promittit in ferro geſtando, ſi ad regium culmen evectus Philippi Simonii ſui Cognati rationes habuerit & ad Comitis dignitatem evexerit: qvanqvam enim cogitare poſſit qvo patre natus eſſet, penes ſe tamen ſitum ut ex voluntate negotium ſuccedat. Tonsbergi deinde experimentum fieri debebat. Nicolaus Epiſcopus ferrum conſecravit. Et qvanqvam Regis Waldemari arbitrio eſſet relictus ferri numerus, ſimplex tamen ex Epiſcopi voluntate & applauſu ſufficiebat. Waldemaro juramentum poſcenti Erlingus promptè aſſurrexit, qvia ſi violandum jus, regni cauſa vio-

landum. Erlingi ad chori valvas promoti manum ſua manu Epiſcopus ſuſtinuit, alta voce Regi populoq; extra chori valvas conſtitutis acclamans, nunqvam ſibi viſam manum à ferro ignito magis intactam. Hoc examine tralaticio finito, actis Deo gratiis, regium nomen Erlingo communi conſenſu tributum, qvanqvam revera non fuiſſe filium Magni Regis, ſed falſo ſibi iſtos natales aſſumpſiſſe juramento & teſtibus fide dignis poſtea probaverit Rex Aqvinus Aqvini filius. Igitur qvam perfunctorie hic experimentum fecerit Erlingus, Epiſcopi indultu nemo non videt. Certè penes Epiſcopum erat, ferri contactum moderari qvum non ita accuratè Waldemarus de fide Epiſcopi nihil addubitans, extra chori januas obſervare ſingula potuerit. Inter tot enim ceremonias vel oculos adſtantium fallere potuit, vel arte ſingulari ita laminam temperare & manum inungere, ne regii ſceptri

ſpo

ſpe Erlingus excideret. Cauſam naturalem huic experimento ineſſe, qvis auſit pernegare. Ferri tenuitas multum ad eludendam noxam contulit. Manus qvoq; potuit inungi, ut ignitam laminam innoxiè perferret, vel ſi leve combuſtionis veſtigium eſſet impreſſum, triduana mora, qvæ concedebatur anteqvam examinis eventus propalaretur, ſanari potuit. Secretum pro ambuſtis *Alpinus* Medicus Patavinus tradidit, ſi pars combuſta per horam detineatur in oleo communi, nullum enim remanere ejus veſtigium. Qvod ſecretum in butyro aliisq; adipibus qvoq; ſuccedere, extra dubium pono. Sunt præterea qvi arcano liqvore manum ita munire ſciunt, ut plumbum fervens & fuſum ſine damno ferat, qvod circumforaneos vidimus factitaſſe. Forſan ſucco ſempervivi, vel filicis vel oleo alio utuntur. Similia etiam veteribus innotuiſſe ex Hiſtoria Norwagica demonſtrabo. Cum de

legitimo Regis Aqvini Aqvini patre: Anno Chriſti 1218. dubitaretur à Pro ceribus, Mater Regis laminam geſtare intrepidè voluit. Acceſſit verò qvi dam, gratiam Reginæ initurus, Sigar dus Brabantus, qvi artem ſe caller profitebatur, ut innoxiè ferrum tractaret, habere ſcilicet ſe gramen, qvo manum Regina fricare deberet. Inter rogatus de genere graminis tantæ vir tutis, reſpondit creſcere in tectis o mnium ædium Bergenſium. Suſpico ſempervivum fuiſſe, qvod in tectis ſo let apud nos ſurgere. Illa verò ſoliu Dei ope conſcientiæ fiducia ferrum ge ſtavit & filii natales vindicavit. Ung venti formulam habemus, qva illit partes, ignem ſine noxa tractare qveun

R. Succi ex tota althæa cum radi cibus expreſſ. Unc. iij. Ol. Sambucin Unc. ij. Alum. rupei crudi Unc. ſ. coq lento igne ad mediocrem conſiſtent am, tum adde Ceræ novæ Drachm vj. m.

Cre

Crediderim ſimilibus remediis veteres Danos manus pedesqve obfirmaſſe, ut ferri igniti contactum ferrent. Suſpicione non vacaſſe, inde patet qvod in legibus Scanicis ab *Andrea Sunonis* Archiepiſcopo Lundenſi Latio donatis geſtaturus ferrum jubeatur lota manu nihil contingere priusqvam ferrum levet, nec caput, nec crines, nec aliqvod veſtimentum, ne per tactum alicujus ſucci vel ungventi per fraudem potius qvam innocentiam ferri candentis effugiat læſionem. Sed plerumqve inventis legibus invenitur qvoq; fraus, qvam tegere potuit pannus qvo pedes manusqve poſt experimentum ibidem jubentur velari. Ignem calloſa durataq; laboribus cutis facilius etiam ſuſtinebat, de qva diximus Cent. VI. Hiſt. 51. Taceo patientem conſtantemq; animum, qvo nullum periculi vel doloris genus formidabant. Nam & igneos ventri carbones Hartbenus mandebat, raptaqve ore

pruna in viſcerum ima trãsfudit. Qvippe palatum obduxerat callum, ſicut etiam nunc nonnullos novi, qvi juſcula ferventiſſima deglutiunt, qvæ fauces meas comburerent. Viſi qvoqve ſunt noſtro ſeculo circumforanei, qvi artis ſuæ præſtantia, prunas accenſas ore volverent, & ſine damno expuerent. Qvalia ſecreta ſi veterum Danorum ſolertia dedit, de experimentis illorum dubitare non debemus, ad qvorum ſemitam ſi ſeculi noſtri felicitas, inter tot ingeniorum noſtrorum conatus, & commodas patriæ occaſiones proceſſerit, inqvilinis remediis tutum uſum & perpetuum ſpondere auſim. Non ſum interim neſcius nonnullarum arborum plantarumqve, qvæ jam ſolo noſtro aſſveverunt, origines primas aliunde eſſe repetendas. Ita enim juglans, qvæ hortos noſtros copiosè exornat, olim ex Italia allata videtur, unde nuces nobis Walnødden qvaſi nuces Italicæ dicuntur. At jam

noſ-

noſtro cœlo familiaris ad uſum dome-
ſticum & Medicum ſufficit. Qvo tem-
pore ad nos transplantata ſit, non æ-
qvè liqvet. Multorum certè annorum,
imò ſeculorum decurſum numeramus.
Nam Anno Chriſti 1139. in navali pugna
ivardus putamina ſecum geſtaſſe in
Annalibus Norwegiæ memoratur, ce-
â obturatâ, pro inſtrumentis ad ignem
uſcitandum continendis. Sed dome-
icis ingeniis remoram injici plus ul-
ra ſapiendi, dum indigenæ Medicinæ
Naturæ ſtudium urgemus, cave cre-
as. Peregrina enim ſectamur, ut de
omeſticorum uſu, comparatione utri-
sq; rectius judicemus. Sicut peregri-
os hoſpites, non oſſibus converbera-
us, qvod in fratribus Grepianis me-
tò deteſtamur, ſed qvovis officiorum
enere excipimus; ita & herbas exoti-
s in hortis noſtris colimus naturæ
jusvis ſtudioſi, & ad ornatum reſer-
mus. Ne domeſtici frigoris injuriis
r hyemem extingvantur oculorum

oblectamenta, æſtuariis diligenter pr
videtur, qvæ ad ſplendorem & Floi
hybernalia in Auguſtiſſimi Regis n
ſtri FRIDERICI III. Viridario Hafn
ſpectantur. Tantus qvoq; eſt herb
rum arborumqve peregrinarum ap
Illuſtrem Virum *Nicolaum Trollium*,
qvitem & pridem Vicarium Regium
Regno Norwegiæ, magnum medici
fautorem amor, ut æſtate omni ex
ticarum plantarum genere hortus Ha
nienſis & Trolholmianus floreat, hy
me verò grato æſtuarii ampliſſimi c
lore foveantur advenæ. Alios tac
qvi lectiſſimis hortis Floram pereg
nam colunt. Eluxit nuper in his ſt
dium Clariſſimi Viri *Olai Rudbeck*,
medicinæ incrementum nati, qvi U
ſaliæ artificioſam domum exſt[illegible]xit,
qva ſemina ſtirpesq; ex Italia, Galli
India utraqve allata beneficio ignis
qvè feliciter ſeruntur & propagantu
ac ſi in natali ſolo germinarent. Ut a
pareat neutiqvam tam arctis termi
ſepte

eptentrionalium ingenia & induſtri-
m claudi, qvin præter domeſtica, ad
xterna ſe qvoq; pari laude & curioſi-
ate diffundant.

Tandem ne illuc dilabar, unde re-
erre greſſum difficile, Mercatorem ex
urſa procedentem aggredi certum eſt.
Iicqvantũ ex vultu colligo, per patriæ
nedicinæ commendationẽ decurren-
, inopiam auri & argenti exprobrat,
vaſi ideò commerciis aliarũ gentium
bſtinere cogamur, qvod domi rei pe-
uniariæ parſimonia laboremus. Ne
rupulo hoc onuſtus recedat, monebo
ominem auro occupatum, aurea o-
m ſecula, auro caruiſſe, permutatio-
e mercium pecudumq;, unde pecuniæ
omen, contenta. Qva permutatione
odieq; utuntur Islandi, & Feroënſes
oſtri, qvi ſiccatis piſcibus, carne ſali-
, lanificijs advenientium mercato-
im merces permutant ſibi neceſſari-
. Hæc & ſimilia patriæ ſuæ bona,
tria lingua pecunias vocant. Ita o-
lim

lini in Dania ante uſum nummoru mercaturæ exercebantur, & adhu exerceri poſſunt mercium permuta one, qvarum per DEI gratiam uberri mus nobis eſt proventus, alijs natio bus neceſſariarum. Signata mone qvando aliarum gentium more inv luerit, vix ſcire poſſumus in tanto a tiqvitatis ſilentio. Peregrinam prim fuiſſe introductam, cui vulgus aſſv ſceret, qvando Reges Daniæ latè p Angliam, Saxoniam, Sclaviam &c. d minabantur, ſuſpicari licet. Ex ur enim ſepulchrorum antiqvorum eru fuerunt apud nos numiſmata Can Magni, Regis qvoq; Anglorum circa c. 1017. imperantis. Ante cujus temp ra valuit in Dania moneta Ludov Imperatoris A. c. 830, & poſtea Ed redi Regis Anglorum A. c. 864. qvor argentea numiſmata ex terra eruta Muſæis curioſorum viſuntur. Pontifi nummos ab Archiepiſcopo Lunde Jacobo Erlando mutuo datos Regi Ch

ſtoph

ophoro Primo teſtantur Annales.
lavonicam monetam habuit Ericus
II ex qva 1000. marcas dedit Marga-
thæ Roſtochienſi. Monetarij deinde
regno conſtituti, pro moneta do-
eſtica cudenda. A. c. 1257. Roëſkildiæ
abitabat Magiſter Johannes moneta-
us Chriſtophori Primi, de qvo Rege
nqveſtus eſt Archiepiſcopus Lunden-
, qvod monetarum pretium immi-
erit damno ſtudioſorum in exteris
gentium, & Papæ qvi inde reditu-
n ſuorum imminutionem ſentiret. In
ania qvoq; monetarum cudendarum
icinæ imperante Erico Septimo nar-
ntur, qvorum qvarta redituum pars
Archi Epiſcopi Lundenſis ærarium
rtinebat. Ejusdem Erici VII. & Erici
II. & Waldemari IV. nummi malè
diunt, qvia ex cupro, vili metallo,
i. Reginæ Margarethæ Wald. Filiæ
oneta Orebroenſis, initiali litera O
nata, anſam calumniandi dedit o-
es laudatiſſimæ Reginæ actiones in
dete-

deterius accipientibus. Plura alia nu-
miſmata ex tumulis patriæ hinc inde
effodiuntur, qvæ nec nomen nec ætatem
indicant, pleraq; tamen ærea vel ex ære
pro albo, parva, ſolidi noſtri magnitu-
dine. Thaleri valor & ſplendor primum
ſub Regibus familiæ Oldenburgicæ cre-
di cœpit. Horum ſeriem & varieta-
tem accuratam apud Ampliſſimum vi-
rum *Johannem Mulenium*, amicum
magnum vidimus, cujus qvoq; opera
exactam numiſmatum Danicorum de-
ſcriptionem expectamus, ſi ad has cu-
ras Vir publici amantiſſimus ſe pertrahi
ci voto noſtro & rogatu paſſus fuerit.
Reges ipſi ante nummorum notitiam
auro & argento in ſeptentrione abun-
dabant, qvæ ſive piratica arte, olim in
pretio habita, ſive bellis exterorum,
qvibus ſemper implicabantur, ſive pe-
regrinationibus, qvibus præter Regum
noſtrorum morem impenſius delectatos
accepimus, ſive vicinorum commer-
ciis acqviſiverunt. Forſan & Nor-

ria partem argenti ſummiſit, ubi olim
nter arcem Ackerhuſanam & Aslojam
netalla argenti effoſſa fuiſſe refert
Agricola l. 2. de Vet. & Nov. Metall.
. 8. Tanta auri copia fuit Frothoni
Tertio Regi, ut in trivio expoſuerit.
Ante qvem Frotho primus Hadingi
lius contuſis commolitisq; auri frag-
ninibus cibos aſpergere ſolitus, qvi-
us adverſum familiares veneficorum
nſidias tutus eſſet. Unde in veteribus
hythmiſtis aurum appellatur Frotho-
is farina, ſicut monet Cl. *Stephanius*
n Not. ad Sax. Ille idem Frotho bel-
uâ occisâ pecunia locuples dicitur.
rotho IV. ab eximia liberalitate Lar-
i cognomine donatus, aurum & ar-
entum velut lutum reputabat, ſicut
rodidit *Sveno* Aggonis filius, Primus
anicæ gentis Hiſtoricus c. 2. Helgo
orvagienſis Helgam ambiturus, na-
gationem tanto luxu inſtruxerat, ut
cultorum auro velorum apparatu
teretur, qvæ etiam inauratis malis
ſub-

ſubnixa, purpureis reſtibus tenebantur. Tantus qvin etiam auri public... erat uſus, ut auri opifices Dania alu... rit, ex qvibus unus ſororem Inge... Regis amaſſe fertur apud *Saxonem* l. V... Et in Kanuti Magni legibus, Caſtre... ſibus à Svenone Collectis c. 2. auri... brorum opera in maſſam ornat... militum aureus conflatus dicitur. Aureorum & argenteorum poculoru... omni ſeculo inter noſtros mentio e... tat, qvibus Reges, Antiſtites, Nobil... abundabant. Olai Nicolai Eqvitis V... dua Eliſa ſuperſtites refertur à *Witf...dio* noſtro in Hiſt. Chriſtian. I. habui... ſcyphos argenteos 342. & 52. argent... pocula cornuta. De annulis & arm... lis aureis Rolvonis, Othini, Rori... Frothonis, Gotonis, Haraldi nihil ... cam, qvia ad *Saxonem* remitto Lect... res, & nos non nulla in Schedio *de ...millis* Veterum Danorum adduxim... De Torqvibus aureis, Regibus noſt... uſitatis, multa erudita prodit ſingul...

Diſſ...

iſſertatione *Jo. Scefferus* Argentora-
nſis, ingens neceſſitudinis noſtræ or-
mentum. Ad noſtra tempora ſi de-
lvamur, de magnis divitiis gloriari
n poſſumus, nec de paupertate ex-
ema conqveri. Si egeſtatem patimur,
rtè ea ſine damno non habetur. Utilis
nen eſt. Nam, *Seneca* monente Ep. 17.
vis vacare animo, aut pauper ſis opor-
, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtu-
ım ſalutare fieri ſine frugalitatis cura:
ıgalitas autem, qvam nobis optamus,
ıpertas voluntaria eſt. Auri tamen &
genti fodinas locupletes Norwagia
ebet, noſtra memoria detectas. In-
mis ab Anno 1623. in Diœceſi Aſlo-
i, Præfecturæ Tonsbergenſis ad hunc
; diem tam ſtrenuè in effodiendis ar-
nti mineris deſudatur, ut ex puteis
V. & pluribus, eruatur argentum co-
ſum magno dominorum lucro, pro
mmis cudendis & commerciis pro-
gandis. Auri qvoq; ferax eſt eadem
rwegia, cujus mineræ A. C. 1644. ex

tractu Necneſenſi, prope portum Arindalem
& Curiam Barlo huc allatæ igneq; probat
pondere centenario præbuerunt auri puri
cas triginta octo, & alia vena ex libra una,
puri dedit drachmas ſex, ex accurata anim
tione Magni *Olai Wormii* l.1.Muſ.ſ 3. c.2.
mineræ talcoſæ & multis granatis refertæ
ad nos miſſæ fuerunt aurum cōdere putatæ;
rum particulas in Muſæo ſervo. Ex harum
nerarum auro in rei pretioſæ memoriam
Daniæ Inclytus, Divus CHRISTIANUS IV, Duc
aureos cum paropiis cudi mandavit, addita
inſcriptione: VIDE. MIRA. DOMI. Ut tam
verborum compendium faciam, commer
placeant, inopiæ cauſa non inhibemus, nec
dicinam iccircò domi petendam urgemus
ut patriæ gloriæ invigilemus & civium ſ
Cui ſollicitudini & in patriam amori qvi
velit indignari, ſciat præmium me hujus
rumq; laborum nec expectare poſſe aliud
hactenus retuliſſe. Magnæ curæ parva ſe
merces fuit. Spero poſt fata gratias, vel o
jam vel negatas: Nam

Gloria defunctos ſeqvitur, putriq; fav
Fama ſuperſtes erit, nec in ullum de
ævum
Qvod perfecta ſuo patravit tempore v

TH. BARTHOLINI ADDITAMENTA, Ad Medicinam Danorum.

DIſſert. I. p. 13. *Olaus Wormius* excellentiſſimus Naturæ ſcrutator L. 2. Muſ. c. 7. hordei fertiliſſimi in ania nati meminit, ex cujus grano ico ſeptem culmi & ſpicæ emerſe-nt, longitudine Virum, qvantumvis ocerae ſtaturæ, excedentes. Si ex gra- uno ſeptem ſpicas enatas conſidera-ris, & unamqvamq; ſpicam qvatuor rſibus conſtantem, verſum verò emvis duodecim ad minimum gra-s, non miraturum Lectorem monet, cari hoc fertiliſſimum. Unicum im granum de ſe ad minimum tre-nta triginta ſex produxiſſe apparebit.

Qvod ſoli bonitati rectè adſcribit
æterna fama digniſſimus. Author
Saxo noſter l. 12. regnante in Dania
rico agrorum habitum ad tantam
bertatem exceſſiſſe, ut ſinguli cuju
bet annonæ modii totidem dena
permutarentur.

P. 16. l. 8. Sicut Rex Galliæ & N
varræ Chriſtianiſſimus LUDOVICUS X
magna prudentia hoc ipſo Anno 16
pannorum peregrinorum vectur
prohibuit, incolas ad pannificia l
conſilio inſtigaturus.

P. 20. Hinc lac, olei inſtar, ca
nis additum flammas auget. In
giano incendio id obſervatum na
Saxo L. 14. qvando aqva defecti fla
mas lacte ſparſere, qvæ tanto ve
mentius incendium concepere, qv
to hoc liqvoris genere ſæpius perf
debantur.

P. 21. Caſeo Septentrio abun
In hiſtoria Norwegica *Sturlei* refer
Torchillum Goiſe in Cimbria no
ma

agnæ fuiſſe authoritatis: cujus filiæ
Regis Norwegiæ Haraldi opprobri-
n, anchoras ex caſeo conficiebant,
vas pares dicebant retinendis navigi-
Haraldinis, ſi Daniam eſſet ſibi ſub-
gaturus. Magnitudinis inuſitatæ ex-
uuntur in Septentrione, de qvibus
dendus *Olaus Magnus.*

P. 29. l. 10. De iſto Unicornu plu-
commentatur incomparabilis *Olaus*
orm in Muſæo, & Controverſiis,
usq; hoc argumentum prolixius tra-
avimus in Obſervationibus *De Uni-*
rnu Patavii editis, & in *Hiſtoriis Anat.*
arioribus.

P. 32. Fontes alii in Dania natura-
s ſunt, alii miraculoſi. Miraculoſum
tum habere creduntur fontes S. He-
næ, S. Laurentii, S. Crucis &c. qvan-
am præter limpidam aqvam nihil
è jam oſtendant ſingulare. Sangvis
im Kanuti cæſi terræ redditus ſaluta-
m fontis ſcatebram perpetuis uſi-
is mortalium adminiſtraſſe dicitur

Saxoni L. 13. Locum qvoq; Ringſta in qvo pauſantibus gerulis funet ejus lectus conſtiterat, repentino fr tis ortu ſignatum idem narrat. In N wegia qvo loco Iſtenii Regis ſang decidit à Simone obtruncati, fo proſiliit, aliusqve ſub monte pro templum, ubi cadaver ejus pernoc verat, dicunturqve ægri ea aqva uſi nati fuiſſe, hodieqve fontes S. Iſte vocantur, qvod notat *Sturleius* Chron. Norw. Anno Chriſti 1157. Islandia fons eſt, etiam *Saxoni* in pr decantatus, qvi fumigantis aqvæ tio, nativam rei cujuslibet origin demolitur, ut qvicqvid fumi hujus halatione reſpergitur, in lapideæ n turæ duritiam transmutetur. I demq; complures alios latices refe idem teſtatur, qvi modo creſcen lymphæ copiis adaucti, plenisq; exu dantes alveis crebras in ſublime gutt jaciunt, modo torpentibus ſcateb vix ab imo conſpecti, profundis ſubd

cti

..oris terræ latibulis abſorbentur. *Sa-
..ni* atteſtatur patriæ callentiſſimus &
..uditiſſimus Islandiæ Epiſcopus M.
..ynolphus Svenonius* in Conjectaneis à
..l. *Stephanio* laudatis: Tale enim na-
..ræ miraculum ſuis oculis non ſine
..axima admiratione conſpexiſſe ſe te-
..atur in Hankadal, qvod Scalholto
..uobus milliaribus cum ſemiſſe diſtat,
..ædium Cathedrali templo ſubje-
..um. Paulatim namq; ebulliens aqvæ
..rvor in cratere profundiſſimo ſubſi-
..it, & incremento ſenſibili intumuit,
..onec craterem impleret ad labra
..orſus. Tum verò magno cum tu-
..ultu ingenitus fervor aqvam in ſub-
..me evomuit, præſentiſſimo propius
..tantium cum periculo, qvos, niſi ca-
..erent, ignitæ guttæ in delapſu ad in-
..rnecionem comburerent. At verò
..acto, ut arbitrabatur, horæ ſpatio,
..riter & æſtus defervere, & aqva ſub-
..dere atq; detumere. Ille autem cum
..imum accedere fuit auſus, vacuefa-

 ctum

ctum repente craterem animadvert
& prorſus jam exſiccatum: nec uspia
aqvæ veſtigium, præter hoc ipſum
inanitum conceptaculum, comparu
Eruptionem autem Ruſticus altera
intra 24. horas exſpectare ſe dictitab
tanto namqve ſpatio intermittere
plurimum, & recipere. De fonte
lapideam duritiem res injectas conv
tente teſtatur *Arngrimus Jonas* Island
Comm. de Island. part. I. accepiſſe
fama, qvod ſimilis in Islandia exiſt
non procul à ſede Epiſcopali Scalho
apud villam nomine Hankadal. Lign
rum fruſtula aqvæ huic merſa in la
dem converſa in Muſæo ſuſpenſa h
beo, miſſa mihi à Dn. *Torchillo* Paſto
in Islandia religioſo, & Chymiæ gn
ro, qvam olim in Academia noſtra St
dioſos docuit. Fons hic ab Island
Geiſer nominatur, cujus ſtalactit
qvoq; deſcribit ſummus noſter *Ola*
Wormius Lib. 1. Muſ. S. 2. c. 6. Ali
qvoqve fontes in Islandia *Saxo* mem
ra

rat, qvorum ſcatebra cerealis poculi proprietatem imitari perhibetur. Hoc fonte cereali tolli luem Veneream ſcribit *Dithmarus Bleſkenius* in Deſcrip. Island. Exoptandus certe fons aliis terrarum incolis, qvi magnis aliàs impenſis

Combibunt toſtum Cereris liqvorem.

Qvis verò qvalisqve iſte ſit fons, diſcimus ex conjectaneis laudati *Brynolphi*: Prope Stadarſtad Occidentem verſus ſitum eſſe: aqvam acidam dici & tenuem ab ipſis, qvi deguſtarunt; caput verò non petere, neq; ullo effectu in corpore nobilem audire, qvod hominum forſan ruditati tranſcribendū. Ex venâ verò ſalire credit Epiſcopus Doctiſſimus qvæ Vitrioli contagio aceſcat.

Diſſ. II. p. 37. l. 8. Antiqvisſimi apud Danos Poëtæ. Ferè enim ex cantilenis Heroum hiſtoria vetus contexta. Cantilenas ipſi Reges faciebant

prælium inituri, vel Scaldros, ita Poëtas vocabant, ſecum duxerunt, qui præcinerent. Tantoq; præmio ornabantur, ut Hiarnum qvendam Danicæ poëſeos peritum, epitaphio Frothonii qvatuor verſibus erecto, Dani diademate ſint remunerati, ſi *Saxoni* credimus l. 6. Tantus olim vel Poëſeos amor, vel ſceptri Danici contemptus. Nomina Scaldrorum ſeu Poëtarum veterum recenſentur in Chronico Norvegiæ, de qvibus qvoq; omnino videnda *Olai Wormii* Doctoris noſtri de Priſca Dan. Poëſi Diſſertatio, qvibus non nulla addidit *Magnus Olavius* Islandiæ Paſtor, qvæ apud *Stephanium* videantur. Nec degenerarunt ingenia poſteriorum ſeculorum à priorum felicitate. *Lætum* Maroni æmulum ſuperior ætas ſuſpexit. Noſtra ætas *Beringiani* carminis majeſtatem admiratur. In vernacula lingva poſt Arraboenſem *Andreas Bordingius* hodieq; triumphat.

Diſſ

Diſſ. III. p. 69. l. ult. Urgente tamen neceſsitate nix & potus & cibi vicaria eſſe poteſt. Ita de Rege Norvegiæ Sverrone narrat *Snorro Sturleus* ad An. Ch. 1178. qvod fugiens Regem Magnum in rupibus octo dies oberrarit, cibo & potu carens, ſola nive contentus. Idem Nepti Suerronis ex Magno An. Ch. 1206. accidit, aqvam ex nive liqvata potanti.

Diſſ. IV. p. 117. l. 16. Waldemarus IV. Podagricus, ex aqva puteali ſolatium pedibus qvæſivit, cujus putei adhuc Orthungæ veſtigia apparere tradit *Witfeldius*.

P. 121. l. 22. Dolori dentium remediũ qværit Nobilis femina ex raphano ruſticano contuſo venis cubiti lateris affecti appoſito.

P. 130. l. 13. Ad hæmorrhoidum dolores & ani prolapſum facit primum coctio hordei, usq; dum emolleſcat, vel ad manifeſtam crepaturam, inditur deinde ſacculo, & fit infeſſus pro fotu, poſtea

poſtea coqvitur muſcus ille qvi inve-
nitur in antiqvis ſaxis, non viridis, ſed
gypſeus & cineritius, habens inſignem
aſtringendi facultatem, ex decocto
ejus fit fomentatio. Hoc ſecretum ex
nobili femina didicit *D. Petrus Ivo*,
Medicus Viburgenſis, ſicut annotavit
ad marginem *Bruelis*.

Diſſ. V. p. 236. l. 10. Monuit me
amiciſſimus Collega *D. Oſtenfeldius*, in
agro Viburgenſi extra urbem, prope
cœmiterium Divi Michaelis, ante ali-
qvot annos inventam eſſe terrem Sile-
ſiacæ per omnia ſimilem, qva etiam
uſi ſint Pharmacopœi & Chirurgi con-
ſentientibus Medicis.

Diſſ. VI. p. 274. l. 15. *Saxo* in Præf.
de Scania: Tanta ſinus omnis piſcium
freqventia repleri conſvevit, ut inter-
dum impacta navigia vix remigii co-
namen eripiat. Nec jam præda artis
inſtrumento, ſed ſimplici manus officio
capiatur. Hinc tot peregrinorum
commerciis tentata olim Scania, qvi-
bu

bus à Regibus Daniæ immunitates conceſſæ. Videnda de his inſtrumenta publica apud *Jo. Iſac. Pontanum* in Hiſt. Dan. & *M. Z. Boxhornium* in Apol. pro Navig. Holland.

P. 300. l. ult. Gormo in itinere maritimo, pane deficiente, exiguæ pultis uſu traxit famem cum exercitu. *Saxo* L. 8. Idem L. 3. pulmenti Balderi Regis Dani meminit. In annonæ charitate poſt occiſum S. Canutum, putres ariſtas, qvia panem præſtare non poterant, in uſum pultis verſas annotat idem l. 12.

Diſſ. VII. p. 324. l. 10. tempore Regis Norwagiæ Aqvini Anno Chriſti 1490. concluſum fuit, *Witfeldio* narrante, ut ſinguli qvotannis ruſtici ſex lupulorum acervos in proprio fundo exſtruerent.

P. 343. l. 4. *Saxo* L. 7. mentionem facit Ciphi cornei qvi Hagbartho ſiti levandæ gratia à Regina porrigebatur.

De

De cornu Urgardaloki videnda *Eddl.*
Islandorum Mythol. 41.

Diſſ. VIII. p. 368. Catalogo Medii
corum addendi ſeqventes;

Donatus Freyvaldt.
Eskillus Chriſtiani.
Johannes Chyſius.
Johan Melch. Hupfauf.
Michael Chriſtianus.
Petrus Bering.

Primus omnium, qvorum in Da
nicis Annalibus facta mentio, fuii
Henricus Harpeſtreng, Medicus & Ca
nonicus Roëskildenſis, qvi fatis ceſſi
1244.

P. 372. Chriſtophorus hic, Chriſti
anus Torchilli fuit, cujus hoc Epita
phium extat in Templo Academico
vitioq; *Aſſeroi* in Inſcript. Seland. L. I
evenit, ut in nomine error ſit. Videm
da Academiæ Hiſtoria Cl. *Vindingii* no
ſtri p. 61. 62. ubi hujus Epitaphii me
minit in Vita Morſiani. Hic ipſe Mo
ſianus Rector Academiæ fuit ante r

fo

formatam à CHRISTIANO III. Academiam, nempe Annis 1522. & 1523. & revocatus Antverpia poſt reformatam Academiam, Rectoratum ter geſſit Annis 1538. 1546. 1556.

Diſſ. IX. p. 377. l. 20. Nam Eqvitis Britannici eſt confeſſio apud *Saxonem* l. 2. Danos facilius vitam deſerere qvam vinum; at communem hanc cum Britannis eſſe affectionem, qvi hac illis imagine reſpondent.

P. 381. l. 5. Sicut nec unius Præſulis ebrii culpam præſtare omnes debent. De Henrico enim Præſule Lundenſi *Saxo* l. 11. Hujus inqvit, memoria Danicis Annalibus non parvæ eſt verecundiæ, qvoniam perridicula morte conſumptus, privatum opprobrium publico rubore perfudit.

P. 401. l. 23. Rigidior olim Frotho Rex Daniæ, abſciſſis corporis partibus ſcortatores luebat, vel 1000. Talentis.

ER-

ERRATA,

Qvæ abſente Authore irrepſeruntt
ita emendari debent.

Pag. 12. Lin. 23. ubi p. 15. l. 1. merr camur 50. l. 14. primum p. 51. l. 9 Doctoı res p. 64. l. 21. lupi p. 67. l. ult. rarò p. 77 l. 4. phlegmagogo p. 87. l. 8. alias p. 87. l 13. varias p. 88. l. 11. eas p. 91. l. 22. qvum p. 92. l. 2. gloria p. 104. l. 21. Pharmacopœa p. 123. l. 17. redacta bibuntur p. 178. l. 11 videtur. p. 204. l. 3. favet p. 207. l. 9. ſam buci p. 211. l. ult. uberrimè. p. 218. l. 6. im probanda p. 222. l. 7. veneunt. p. 266. l 20. Ind. addit. p. 302. l. antep. popinæ. p 325. l. 9. ſaccis. p. 332. l. 23. convivis p. 338 l. 3. commiſceatur p. 342. l. 14. ducunt. p 364. l. 20. CHRISTIANUS I. *p. 379. l. 1. qven p. 396. l. 18. inutilia p. 405. l. 18 Theria cam p. 423. l. 8. comparaverint p. 478 l. 4. hac.* Reliqva benignum Lectori judicium expectant.